DE POETIS AEVI AUGUSTI EPICUREIS.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

UNIVERSITATIS FRIDERICIAE GUILELMIAE RHENANAE

AD

SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES RITE IMPETRANDOS

SCRIPSIT

HILDEGARD DISCH

DUISBURGIENSIS.

PROMOTA A. D. XII KAL. IAN. MCMXXI.

NUERNBERG

TYPIS EXPRESSIT BENEDIKT HILZ

MCMXXI.

DE DISSERTATIONE PROBANDA AD ORDINEM RETTULIT

FRIDERICUS MARX.

PATRIS MEMORIAE SACRUM.

INDEX RERUM.

I.

Inter res, quae a viris doctis adhuc neglectae sunt, veterum philosophorum disciplinae dignissimae videntur, quae describantur. Non enim satis est cognoscere, quid docuerint veteres philosophi, sed etiam scire debemus, quanta vi atque auctoritate disciplinae eorum apud posteriores fuerint, ut perspiciamus vel quid ex iis quae veteres iam cogitaverint hodie etiam valeat vel quomodo eorum sententiae longius productae sint. Equidem hac disputatione, etsi exiguam partem solam tractatura sum, sperare audeo me ad disciplinae Epicureae historiam scribendam aliquid collaturam esse, quantum ego quidem possum. Nam quamquam Lucretius in carmine, quod de rerum natura scripsit, disciplinam Epicuream satis et copiose et eleganter constitutam nobis tradidit, quod carmen omnibus fere temporibus bene notum erat atque a multis legebatur, tamen nulla disciplina adeo depravata atque in peius versa est quam Epicurea; quin etiam hodie multi Epicuri et personam et philosophiam in deterius vertere pergunt. Is autem, qui non solum cognoscendi et sciendi cupiditate adductus legit quod ex Epicuri ipsius vel aliorum Epicureorum scriptis nobis iam exstat, sed etiam amore disciplinae vel potius morum atque vitae Epicureorum captus est, officio deesse mihi videtur nisi ad recte cognoscendam disciplinam stipem confert. Ea de causa philosophiam Epicuream hac dissertatione tractandam elegi. Illustrare in animo habeo, quanta fuerit auctoritate Epicuri disciplina apud poetas aetatis Augusti i. e. apud Vergilium, Horatium, Tibullum, Propertium, Ovidium. Neque vero singulas sententias, quas poetae acceperunt, solas collectura, sed etiam totam vitae rationem consideratura sum.

II.

De Vergilio atque Horatio Lucreti imitatoribus.

Cum Lucretius carmine suo totam philosophiam Epicuream exposuerit et summa auctoritate fuerit apud poetas posterioris aetatis, imprimis apud Vergilium atque Horatium, mihi eorum carmina saepe cum Lucreti de rerum natura carmine comparanda sunt. Itaque ne disputationem his Lucreti imitationibus tractandis saepe interrumpam, in initio opusculi agere mihi proposui de Vergilio atque Horatio Lucreti imitatoribus. Tibulli vero, Properti, Ovidi carmina licet hac parte neglegere, cum in iis vestigia Lucretianae imitationis neque aperta neque multa exstent.

De *Vergilio* Lucreti imitatore iam scripserunt Woehler Über den Einfluß des Lucrez auf die Dichter der august. Zeit. I. Vergil. Progr. Greifswald 1876. Woll De poetis Latinis Lucreti imitatoribus. Diss. Friburgensi 1907. p. 17 sqq. Ladewig-Schaper-Deuticke-Jahn Vergils Gedichte. Bd. I und II, Berlin $1915^{IX.}$ $1912^{XIII.}$

Antiquis iam temporibus homines docti intellexerunt, quantum Vergilius Lucretio debuisset, id quod testatur Gellius noct. Att. I 21,7 „non verba autem sola, sed versus prope totos et locos quoque Lucreti plurimos sectatum esse Vergilium videmus“. Quin etiam apud Macrobium in sexto saturnalium libro ineunte, quo agit de Vergilio veterum scriptorum imitatore, legimus sex versus quibus Vergilius Lucretium imitatus est. Ego quoque exemplis ex omnibus poetae carminibus selectis ostendam, quanto studio Vergilius e Lucreti carmine mutuaverit[1]).

Verg. ecl. I 6 sq.:

O Meliboee, *deus* nobis haec otia fecit
Namque erit *ille* mihi semper *deus*, illius aram.

Verg. ecl. V 64:

Ipsa sonant arbusta: *deus, deus ille*, Menalca!

Lucr. V 8[2]):

Dicendum est, *deus ille* fuit, *deus*, inclyte Memmi.

---

[1]) Tamen plerisque his versibus utrumque poetam Enni verba secutum esse iure dixerit aliquis: qua de re singillatim agere nunc meum non est.

[2]) Numeri quibus Lucreti versus affero ex recensione Bernaysi sumpti sunt.

Verg. ecl. VIII 86:

Propter aquae rivum viridi procumbit in ulva.

Lucr. II 30:

Propter aquae rivum sub ramis arboris altae.

Verg. ecl. IX 13:

Chaonias dicunt aquila veniente columbas.

Lucr. III 750:

Aëris accipiter fugiens veniente columba.

Verg. georg. I 187:

Contemplator item, cum se nux plurima silvis.

Lucr. II 114:

Contemplator enim, cum solis lumina cumque.

Verg. georg. I 477:

Ingens, et simulacra modis pallentia miris.

Verg. georg. IV 309:

Aestuat et visenda modis animalia miris.

Verg. Aen. I 354:

Coniugis; ora modis attollens pallida miris.

Lucr. I 123:

Sed quaedam simulacra modis pallentia miris.

Verg. georg. II 140:

Haec loca non tauri spirantes naribus ignem.

Verg. georg. III 85:

Collectumque fremens volvit sub naribus ignem.

Lucr. V 29:

Et Diomedis equi spirantes naribus ignem.

Verg. georg. II 151 sq.:

At rabidae tigres absunt et saeva leonum
Semina nec miseros fallunt aconita legentis.

Lucr. III 739 sq.:

Denique cur acris violentia triste leonum
Seminium sequitur, volpes dolus, et fuga cervos.

Verg. georg. II 209:

Antiquasque domos avium cum stirpibus imis.

Lucr. I 18:

Frondiferasque domos avium camposque virentis.

Verg. georg. II 217:

Quae tenuem exhalat nebulam fumosque volucris.

Lucr. V 253:

Pulveris exhalat nebulam nubesque volantis.

Verg. georg. II 282:

Aere renidenti tellus, necdum horrida miscent.

Lucr. II 326:

Aere renidescit tellus, supterque virum vi.

Verg. georg. II 514:
Hinc anni labor, hinc patriam parvosque penates.
Lucr. III 85:
Nam iam saepe homines patriam carosque parentis.
Verg. georg. II 523:
Interea dulces pendent circum oscula nati.
Lucr. III 893:
Optima nec dulces occurrent oscula nati.
Verg. georg. IV 472:
Umbrae ibant tenues simulacraque luce carentum.
Lucr. IV 35:
Contuimur miras simulacraque luce carentum.
Verg. Aen. I 44 sq.:
Illum expirantem transfixo pectore flammas
Turbine corripuit scopuloque infixit acuto.
Lucr. VI 391 sq., 395:
Non faciunt icti flammas ut fulguris halent
Pectore perfixo, documen mortalibus acre.
— — — — — — —
Turbine caelesti subito correptus et igni?
Verg. Aen. I 249:
Troia, nunc placida compostus pace quiescit.
Lucr. VI 73:
Sed quia tute tibi placida cum pace quietos.
Verg. Aen. I 604:
Usquam iustitia est et mens sibi conscia recti.
Lucr. III 1016:
Quae tamen etsi absunt, at mens sibi conscia factis.
Verg. Aen. I 691 sq.:
At Venus Ascanio placidam per membra quietem
Inrigat et fotum gremio dea tollit in altos.
Lucr. IV 904 sq.:
Nunc quibus ille modis somnus per membra quietem
Inriget atque animi curas e pectore solvat.
Verg. Aen. III 199:
Abstulit, ingeminant abruptis nubibus ignes.
Lucr. II 214:
Nunc hinc nunc illinc abrupti nubibus ignes.
Verg. Aen. IV 452:
Quo magis inceptum peragat lucemque relinquat.
Lucr. VI 42:
Quo magis inceptum pergam pertexere dictis.
Verg. Aen. IV 584, IX 459:
Et iam prima novo spargebat lumine terras.

Lucr. II 144:
Primum aurora novo cum spargit lumine terras.
Verg. Aen. V 674:
Qua ludo indutus belli simulacra ciebat.
Lucr. II 324:
Camporum complent belli simulacra cientes.
Verg. Aen. VI 675:
Incolimus. sed vos, si fert ita corde voluntas.
Lucr. III 44:
Aut etiam venti, si fert ita forte voluntas.
Verg. Aen. VI 724:
Principio caelum ac terras camposque liquentis.
Lucr. V 92:
Principio maria ac terras caelumque tuere.
Verg. Aen. VII 204:
Sponte sua veterisque dei se more tenentem.
Lucr. V 958:
Sponte sua sibi quisque valere et vivere doctus.
Verg. Aen. IX 680:
Sive Padi ripis, Athesim seu propter amoenum.
Lucr. IV 1017:
Flumen item sitiens aut fontem propter amoenum.
Verg. Aen. IX 794:
Asper, acerba tuens, retro redit et neque terga.
Lucr. V 33:
Asper, acerba tuens immani corpore serpens.

Saepe etiam verba, quibus Vergilius orationem ad aliam rem traducit, ex Lucreti dictione sumpta sunt, velut „nunc locus“[3], „quod superest“[4], „cum semel“[5], „cetera quae . . . . . omnia“[6], „nec mora nec requies“[7], „usque adeo“[8], „nunc age“[9], „verum ubi“[10], „multaque praeterea“[11]).

Praeterea plurimi versus vel finiunt vel incipiunt verbis Lucretianis. Velut georg. III 220 (cf. Lucr. V 439). georg. III 416 (cf. Lucr. II 408). georg. III 457 (Lucr. I 355, VI 1166). georg. IV 64 (Lucr. II 618). georg. IV 100 (Lucr. II 259, 293, V 659, 668). georg. IV 208 (Lucr. V 95). georg. IV 335 (Lucr. I 644). Aen. II 268 (Lucr. VI 1). Aen. II 490 (Lucr. IV

---

[3]) cf. Verg. georg. II 177. Lucr. II 184.
[4]) cf. Verg. georg. II 346. Aen. V 796. Lucr. I 50.
[5]) cf. Verg. georg. II 422. Lucr. III 439.
[6]) cf. Verg. georg. III 3 sq. Lucr. VI 527 sq.
[7]) cf. Verg. georg. III 110. Lucr. VI 933.
[8]) cf. Verg. georg. IV 84. Lucr. IV. 560.
[9]) cf. Verg. georg. IV 149. Lucr. II 62.
[10]) cf. Verg. Aen. III 670. Lucr. III 152.
[11]) cf. Verg. Aen. VI 285. Lucr. VI 903. 1180.

1171). Aen. II 565 (Lucr. V 1316). Aen. IV 132 (Lucr. IV 679, VI 1220). Aen. IV 614 (Lucr. I 77). Aen. V 31 (Lucr. I 135, IV 732). Aen. VI 191 (Lucr. VI 833). Aen. VI 735 (Lucr. V 63). Aen. VI 746 (Lucr. III 40). Aen. VI 819 (Lucr. III 994, V 1232). — Verg. georg. III 547, IV 80 (Lucr. VI 744). georg. III 553 (Lucr. V 483, 704). Aen. II 14 (Lucr. I 86).

Restat ut demonstrem Vergilium saepe imagines, quibus usus est, sumpsisse ex Lucreti carmine. Velut georg. I 118—159, ecl. IV 28—45 quibus versibus de prisca aetate aurea loquitur[12], georg. I 471—473, quibus de Cyclopibus agit[13], georg. II 323—345, III 242—249, quibus de vere loquitur[14], georg. III 103 sq., quibus imagine equi curulis utitur[15], georg. III 289—293, quibus se novum carminum genus investigari gloriatur[16], georg. III 478—566, quibus pestilentiam pecorum[17], Aen. III 137—142, quibus pestilentiam hominum narrat[18], georg. IV 363—367, quibus viscera terrae depingit[19], Aen. VI 239—242, quibus aditum Orci describit[20], Aen. VI 276, quo de turpi Egestate ante portam Orci exspectante loquitur[21].

Vergilium secutus est aetate Horatius, apud quem multa imitationis Lucretianae vestigia invenimus, praesertim in saturis epistulisque versu heroico compositis. Qua de re iam plures exposuerunt, quorum commentariis usa sum[22]. Nonnulla exempla affero:

Hor. carm. I 12, 3 sq.:

. . . . cuius recinet iocosa
nomen imago.

Lucr. IV 568 sq.:

Pars, solidis adlisa, locis reiecta sonorem
Reddit et interdum frustratur imagine verbi.

---

12) cf. Lucr. V 922 sqq.
13) cf. Lucr. VI 681. 699 sq.
14) cf. Lucr. I 1—20.
15) cf. Lucr. II 263—265.
16) cf. Lucr. I 922—930. V 97 sqq. 733.
17) cf. Lucr. VI 1088 sqq.
18) cf. Lucr. VI 1125 sqq.
19) cf. Lucr. VI 536—541.
20) cf. Lucr. VI 740 sqq. 818 sqq.
21) cf. Lucr. III 65 sqq.
22) cf. Goebel, Lucrez und sein Verhältnis zur Horaz. Zeitschrift für die österr. Gymnas. VIII (1857) p. 421.
Reisacker, Horaz in seinem Verhältnis zur Lucrez und in seiner kulturgeschichtlichen Bedeutung. Progr. Breslau 1873.
Weingärtner, De Horatio Lucreti imitatore. Halle 1874.
Merrill, On the influence of Lucretius on Horace. University of California public., class. philol. Berkeley 1905.
Woll, De poetis Latinis Lucreti imitatoribus. Diss. Friburgensi 1907.

Hor. epod. II 41:
Sabina qualis aut perusta solibus.
Lucr. V 251 sq.:
Principio pars terrai nonnulla, perusta
Solibus adsiduis. . . . .
Hor. serm. I 1, 13:
Cetera de genere hoc, adeo sunt multa, loquacem.
Lucr. II 104:
Corpora constituunt, et cetera de genere horum.
Hor. serm. I 1, 118 sq.:
Dicat et exacto contentus tempore vita
Cedat uti conviva satur, reperire queamus.
Lucr. III 936:
Cur non ut plenus vitae conviva recedis.
Hor. serm. I 6, 4:
Olim qui magnis legionibus imperitarint.
Lucr. III 1026:
Occiderunt, magnis qui gentibus imperitarunt.
Hor. serm. I 6, 18:
Nos facere a volgo longe longeque remotos.
Lucr. III 69:
Effugisse volunt longe, longeque remosse.
Hor. serm. I 10, 49:
Haerentem capiti cum multa laude coronam.
Lucr. VI 95:
Te duce ut insigni capiam cum laude coronam.
Hor. ep. I 11, 10:
Neptunum procul e terra spectare furentem.
Lurc. II 1 sq.:
Suave, mari magno turbantibus aequora ventis,
E terra magnum alterius spectare laborem.
Hor. ep. I 19, 21 sq.:
Libera per vacuum posui vestigia princeps,
Non aliena meo pressi pede . . . . . .
Hor. carm. I 26, 6 sq.:
. . . . . o quae fontibus integris
gaudes . . . . . .
Lucr. IV 1 sq. = I 926 sq.:
Avia Pieridum peragro loca nullius ante
Trita solo. iuvat integros accedere fontis.
Lucr. III 4:
Ficta pedum pono pressis vestigia signis.
Hor. art. poet. 111:
Post effert animi motus interprete lingua.

Lucr. VI 1147:

Atque animi interpres manabat lingua cruore.

Iam pervenimus ad eas imitationes, quae non solum ad sermonem vel dicendi copiam spectant, sed ad rationem cogitandi et ad imagines poeticas. Quarum nonnullas enumerabo.

Versus ep. I 10, 24. carm. IV 4, 33 sq. conferendi sunt cum Lucreti versibus III 307—310, ubi uterque dicit naturam hominis numquam expelli posse. Horatius etiam in iis, quae de prima hominum cultusque humani origine dicit, Lucretium secutus est. cf. Hor. serm. I 3, 99—114. Lucr. V 932, 922 sqq., 959 sq., 1009 sqq., 1026 sqq., 1283 sqq. Deinde mentione dignum videtur utrumque eodem modo de pauperibus atque divitibus loqui, ita ut Horatius Lucreti versus imitatus esse videatur. cf. Hor. carm. III 16, 22—28, 39 sq. serm. II 3, 94—99. ep. I 6, 37 sq. Lucr. V 1111—1117. Nescio autem an versus serm. I 3, 13—15, spectent ad Lucreti versus V 1425—1427.

cf. Hor. serm. I 3, 13—15:

Omnia magna loquens, modo sit mihi mensa tripes et
Concha salis puri et toga, quae defendere frigus
Quamvis crassa queat.' . . . .

Lucr. V 1425—1427:

. . . . at nos nil laedit veste carere
Purpurea atque auro signisque ingentibus apta,
Dum plebeia tamen sit, quae defendere possit.

At certe Lucreti carmina in memoria tenuit, cum inquietem eorum, qui nullis rebus contenti sunt, depingeret[23]) atque demonstraret neque febres neque curas divites effugere[24]), amorem caecum nominaret[25]), honores mutabiles esse demonstraret sub fascium imagine[26]), fortasse etiam cum magistros pueris mala levare dulcedine diceret[27]).

His exemplis satis esse demonstratum existimo, quanta vi carmen Lucretianum fuerit apud poetas minores natu. Quisquis vero toto animo Lucreti versus percipit, ipse cum maxima vi atque summa pulchritudine eorum tum virtutibus poetae ipsius ita capitur, ut haud miretur quod posteriores eum adeo imitati sunt. Sed etsi adeo carmine Lucreti permoti sunt, tamen ea re non probatur eos quoque Epicureos fuisse sicut

---

[23]) cf. Hor. serm. II 7, 111 sqq. ep. I 1, 80 sqq. carm. II 16, 19 sq. Lucr. III 1051—1074.

[24]) cf. Hor. ep. I 2, 46—49. Lucr. II 34—36. Hor. carm. II 16, 9—12. Lucr. II 34—37. 28.

[25]) cf. Hor. serm. I 3, 38—54. Lucr. IV 1133—1161.

[26]) cf. Hor. ep. I 16, 33—35. Lucr. III 994 sq.

[27]) cf. Hor. serm. I 1, 25—27. Lucr. IV 11 sqq.

Lucretium. Num re vera Epicurei fuerint et quibus sententiis consenserint cum Epicureis, quibus ab iis dissenserint, nunc mihi ad caput huius dissertationis transeunti quaerendum est. Qua in re temporum ordinem secuta incipiam a Vergilio Marone.

III.
De P. Vergilio Marone Epicureo.

Vergilium iuvenem Sirone Epicureo magistro usum esse nobis a veteribus in Vergili carmina commentatoribus traditum est. cf. Serv. ad Verg. Aen. VI 264 „ex maiore autem parte Sironem, id est magistrum suum Epicureum sequitur". Donat. vit. Vergil. p. 68 Reiffersch. „audivit a Sirone praecepta Epicuri: cuius doctrinae socium habuit Varium". Foca Gramm. vit. Verg. v. 87:

Tum tibi Sironem, Maro, contulit ipsa magistrum.

Schol. Veron. ad buc. VI 10 „nam Sirona et Vergilius audivit". Serv. ad buc. VI 13 „nam vult exequi sectam Epicuream, quam didicerant tam Vergilius quam Varus docente Sirone". Idem Vergili commentatores ad plurimos versus annotaverunt Vergilium his versibus Epicurum secutum esse et tradunt eum ipsum fuisse Epicureum. cf. Probus vit. Verg. (Thilo-Hagen III 2 p. 323, 11) „Vixit pluribus annis liberali in otio secutus Epicuri sectam". Iun. Philargyr. ad buc. VI 32 „Epicureus enim fuit". Brevis expositio ad georg. II 491 „Quamquam Vergilius Epicureus est . . . . . ."

Vergilius igitur iuvenis Epicuri philosophiam cognovit atque e fonte Graeco hausit. Nam Siro erat homo Graecus, qui multos iuvenes Romanos arcessivit, ut eos disciplinam Epicuream doceret, id quod apparet e papyro quodam a Croenerto edito. cf. Croenert Kolotes und Menedemos p. 126 pap. I 4_5:

. . . . . . ἐδ]όκει δ' ἐπ[α-
νελθεῖν] μεθ' ἡμῶν εἰς
τὴν Νεά]πολιν πρὸς τὸν
ἡμέτερο]ν Cίρωνα [κ]αὶ τὴν
περὶ αὐτ]ὸν ἐκεῖ διαίτη-
σιν καὶ φι]λοσόφους ἐνεργ[ῆ-
σαι συλλα]λίας Ἡρακλ[ανέωι
τε συχνό]τε[ρον παρενδια-
[τρῖψαι

Sironem Epicureum bene esse notum illis temporibus nobis probant Ciceronis scripta, qui loquitur de Sirone tribus locis, semel una cum Philodemo Epicureo. cf. Cic. de fin. II 35, 119 „Familiares nostros, credo, Sironem dicis et Philodemum, cum optimos viros tum homines doctissimos". Acad. pr. II 33, 106 „falsi autem conprendi nihil potest, et omnia meminit Seiron Epicuri dogmata". Epist. VI 11, 2 „Vestorius, noster familiaris, ad me scripsit te mihi maximas gratias agere. Haec praedicatio tua mihi valde grata est, eaque te uti facile patior, cum apud alios tum mehercule apud Sironem, nostrum amicum".

Haec Ciceronis epistula maximi est momenti, cum ex ea concludere liceat Sironem tum — i. e. anno a. Chr. n. 45 — Puteolis habitasse [1]). Nam Vestorius ille erat Puteolanus, Cicero vero de Vestorio et Sirone tamquam unius oppidi incolis loquitur. Puteolis igitur erat villula illa Sironis quam Vergilius emit et de qua dicit catal. VIII:

Villula quae Sironis eras et pauper agelle,
Verum illi domino tu quoque divitiae,
Me tibi et hos una mecum, quos semper amavi,
Si quid de patria tristius audiero,
Commendo in primisque patrem. Tu nunc eris illi
Mantua quod fuerat quodque Cremona prius.

Quanto vero animi impetu Vergilius animum a studiis rhetoricis averterit et ad Sironis philosophiam i. e. Epicuream se applicaverit legimus catal. V:

Ite hinc inanes, ite rhetorum ampullae,
Inflata rythmo non Achaïo verba,
Et vos Selique Tarquitique Varroque,
Scholasticorum natio madens pingui,
Ite hinc, inane cymbalon iuventutis.
Tuque o mearum cura Sexte curarum
Vale Sabine. Iam valete formosi.
Nos ad beatos vela mittimus portus
Magni petentes docta dicta Sironis
Vitamque ab omni vindicavimus cura.
Ite hinc Camenae vos quoque; ite iam sane,
Dulces Camenae (nam fatebimur verum,
Dulces fuistis), et tamen meas cartas
Revisitote, sed pudenter et raro.

Lucreti carmen summo studio atque laude Vergilium Epicureum legisse manifestum est e versibus, quibus Lucretium

---

[1]) Ea quae sequuntur debeo Marxio, quem hac in re secuta sum.

imitatus est, et nonnullis locis, quibus eum atque carmina eius summa laude effert, etsi eum non nominat. Quos locos affero:

Verg. georg. II 490—492:

Felix qui potuit rerum cognoscere causas
Atque metus omnis et inexorabile fatum
Subiecit pedibus strepitumque Acherontis avari.

Verg. georg. II 475—482:

Me vero primum dulces ante omnia Musae,
Quarum sacra fero ingenti percussus amore,
Accipiant caelique vias et sidera monstrent,
Defectus solis varios lunaeque labores;
Unde tremor terris, qua vi maria alta tumescant
Obicibus ruptis rursusque in se ipsa residant,
Quid tantum Oceano properent se tinguere soles
Hiberni, vel quae tardis mora noctibus obstet[2]).

Verg. ecl. VI 31—40:

Namque canebat uti magnum per inane coacta
Semina terrarumque animaeque marisque fuissent
Et liquidi simul ignis; ut his ex omnia primis,
Omnia, et ipse tener mundi concreverit orbis;
Tum durare solum et discludere Nerea ponto
Coeperit et rerum paulatim sumere formas;
Iamque novum terrae stupeant lucescere solem,
Altius atque cadant summotis nubibus imbres,
Incipiant silvae cum primum surgere cumque
Rara per ignaros errent animalia montis.

Verg. Aen. I 742—746:

Hic canit errantem lunam solisque labores,
Unde hominum genus et pecudes, unde imber et ignes,
Arcturum pluviasque Hyadas geminosque Triones;
Quid tantum Oceano properent se tinguere soles
Hiberni, vel quae tardis mora noctibus obstet.

Neque vero est quod dubitemus, quin Vergilius his versibus ad Lucretium spectet. Poetae enim aetatis Augusti, cum alios poetas laudarent, verba eorum laudi intexere solebant nomine non adhibito, id quod fecit Vergilius his locis[3]). Vergilius igitur id quod Lucretius canebat eximium carminum argumentum esse putabat. Quaeramus oportet utrum solummodo summa illa carminis vi atque ipsa Lucreti persona, quae

---

[2]) Hos duo locos ea de causa ad Lucretium, non ad Epicurum spectare puto, quod Vergilius hoc loco se tamquam poetam bucolicum opponit poetae cuidam de rerum natura agenti neque vero se tamquam poetam opponit philosopho cuidam.

[3]) cf. Lucr. III 1070, 37. — I 1018, II 1059 sq., I 715, VI 205, V 430, I 61, V 495, V 443 sq., V 509, 749, 771, 76, VI 535, VI 577, V 697 sq.

tanta granditate animi, tanta sinceritate atque asperitate fuerit, commotus sit an disciplina etiam Epicurea quam Lucretius tradidit. Nonnulla, quae ad hanc rem pertinent, iam exposuit Woehler: Über den Einfluß des Lucrez auf die Dichter der august. Zeit. I. Vergil. Progr. Greifswald 1876[4]).

Incipiamus a ratione vitae instituendae, quae est summa philosophiae Epicureae. Docet Epicurus voluptatem esse extremum et ultimum bonorum, sed neminem esse in voluptate nisi eos qui sapienter honeste iusteque vivant cupiditatibus immensis et inanibus divitiarum, gloriae, dominationis, libidinosarum etiam voluptatum positis neque ullis doloribus vel corporis vel animi afficiantur. Summam enim voluptatem putat esse in tranquillitate animi, quam Graece vocat *ἀταραξίαν*. cf. Epic. ep. III 128 (= Usener Epicurea p. 62, 23 sq.): *καὶ διὰ τοῦτο τὴν ἡδονὴν ἀρχὴν καὶ τέλος λέγομεν εἶναι τοῦ μακαρίως ζῆν.* 131 (= Usener Epic. p. 64, 8 sqq.): *Ὅταν οὖν λέγωμεν ἡδονὴν τέλος ὑπάρχειν, οὐ τὰς τῶν ἀσώτων ἡδονὰς καὶ τὰς ἐν ἀπολαύσει κειμένας λέγομεν ...... ἀλλὰ τὸ μήτε ἀλγεῖν κατὰ σῶμα μήτε ταράττεσθαι κατὰ ψυχήν·* 132 (= Usen. Epic. p. 64, 18 sqq.): *τούτων δὲ πάντων ἀρχὴ καὶ τὸ μέγιστον ἀγαθὸν φρόνησις. διὸ καὶ φιλοσοφίας τιμιώτερον ὑπάρχει φρόνησις, ἐξ ἧς αἱ λοιπαὶ πᾶσαι πεφύκασιν ἀρεταί, διδάσκουσα ὡς οὐκ ἔστιν ἡδέως ζῆν ἄνευ τοῦ φρονίμως καὶ καλῶς καὶ δικαίως < οὐδὲ φρονίμως καὶ καλῶς καὶ δικαίως > ἄνευ τοῦ ἡδέως. συμπεφύκασι γὰρ αἱ ἀρεταὶ τῷ ζῆν ἡδέως, καὶ τὸ ζῆν ἡδέως τούτων ἐστὶν ἀχώριστον.*

Ne tranquillitas illa animi perturbaretur, Epicurus a vita publica se recepit in hortulum illum, ubi cum discipulis amicisque modeste vel tenuissimo cultu vixit. cf. Epic. frg. 551: *λάθε βιώσας.* ep. III. 131 (= Usen. Epic. p. 64, 1 sqq.): *καὶ μάζα καὶ ὕδωρ τὴν ἀκροτάτην ἀποδίδωσιν ἡδονήν, ἐπειδὰν ἐνδέων τις αὐτὰ προσενέγκηται. τὸ συνεθίζειν οὖν ἐν ταῖς ἁπλαῖς καὶ οὐ πολυτελέσι διαίταις καὶ ὑγιείας ἐστὶ συμπληρωτικὸν καὶ πρὸς τὰς ἀναγκαίας τοῦ βίου χρήσεις ἄοκνον ποιεῖ τὸν ἄνθρωπον καὶ τοῖς πολυτελέσιν ἐκ διαλειμμάτων προσερχομένους κρεῖττον ἡμᾶς διατίθησι καὶ πρὸς τὴν τύχην ἀφόβους παρασκευάζει.*

---

[4]) Hoc quaerere mihi proposui, quamquam scio Ranzoli Vergilium Epicureum fuisse omnino negavisse. cf. Ranzoli, La religione e la filosofia di Virgilio. Torino 1900. p. 61—91. In versibus quidem, quos Ranzoli quasi fundamentum disputationis adhibet, Vergilius re vera non Epicureum se praestitit, qua de causa hos versus attuli inter eos qui rationem dicendi Vergilium a Lucretio mutuavisse probant. Sunt autem alii versus, qui Epicuri apud Vergilium auctoritatem demonstrent. Accedit quod Ranzoli erravit, quia Lucretium et Vergilium inter se comparando de philosophia Epicurea apud Vergilium diiudicavit. Minime ea sum quae neget Lucretium atque Vergilium et moribus et ea ratione, qua res uterque contemplatur, valde inter se differre. Tamen uterque Epicureus esse potest. Comparandi enim sunt Epicurus atque Vergilius, ut intellegamus quae Epicuri placita Vergilius acceperit et quomodo ea immutaverit secundum ipsius mores et indolem.

Epicurus igitur summam vivendi voluptatem atque amorem coniunxit cum summa modestia atque simplicitate. Cum his Epicuri sententiis iam comparemus Vergili carmina atque vitam.

Quid de vita instituenda senserit, cognoscimus ex georgicon libris, qui tanto vitae agrestis amore perfusi sunt, ut dubitare nemo possit, quin Vergilius ipse hanc vitam ceteris praetulerit, etiam si eam non tam diserte laudavisset georg. II 458—540. Qua in re Vergilium Epicuri sententias cognovisse apertum est ex Lucreti versibus V 1117 sqq., II 24—51, V 1427 sq., III 995—997, quos imitatus est. Sicut Epicurus a rebus publicis atque negotiis se recepit in hortulum illum tranquillum, ita Vergilius in solitudinem se abdidit et rarissime Romam commeabat. Modeste atque parvo cultu ruri vivere ei optimam esse vitam videbatur. Tenui autem victu contentus a sumptibus et luxuria se abstinebat teste Donato in vita Vergili p. 3, 35 sqq. (Brummer): „Cetera sane vitae et ore et animo tam probum constat, ut Neapoli Parthenias vulgo appellatus sit, ac si quando Romae, quo rarissime commeabat, viseretur in publico, sectantis demonstrantisque se suffugeret in proximum tectum. bona autem cuiusdam exulantis offerente Augusto non sustinuit accipere. possedit prope centiens sestertium ex liberalitatibus amicorum habuitque domum Romae Esquiliis iuxta hortos Maecenatianos, quamquam secessu Campaniae Siciliaeque plurimum uteretur“. p. 4, 1 sqq.: inter cetera studia medicinae quoque ac maxime mathematicae operam dedit. egit et causam apud iudices unam omnino nec amplius quam semel“. Neque vero taedio vivendi captus atque omnes voluptates contemnens se recepisse a vita publica videtur. Non enim oderat vitam is qui georgicon libros scribere potuit, sed toto animo veris vitae atque naturae bonis fruebatur. Itaque Vergilius vitam sibi instituit eodem modo quo Epicurus: modeste, simpliciter vixit in recessu atque otio, sed summam voluptatem ex otio cepit. Praesertim autem se praestat Epicureum versibus georg. II 458—540, e quibus elucet vitam interiorem atque familiarem Vergilium studio laudis et cupiditate honoris qui haud commotus fuerit summa laetitia affecisse. Minimis quoque rebus delectatus esse videtur. Nam toto carmine atque moribus Vergili consideratis haud licet putare Vergilium haec non re vera sensisse, sed finxisse. Magni autem momenti mihi esse videtur versus 499, quo inter bona vitae agrestis enumerat etiam vacuitatem doloris qui misericordia aliorum atque invidia efficitur.

cf. Verg. georg. II 498 sq.:

. . . . neque ille
Aut doluit miserans inopem aut invidit habenti.

Accedit v. 467.

At secura quies et nescia fallere vita [5]).

Uterque enim ad Epicuri sententiam spectare mihi videtur, qua tranquillitatem animi posuit in vacuitate doloris et virtutes praedicat voluptatis causa, ut ἀταραξίαν quam vocat nobis paremus. cf. Epic. frg. 504, 519. Itaque valere in his versibus Epicuri auctoritatem negare non possumus. Tamen Vergilium ad Epicuri mores atque vivendi rationem non solum philosophia, sed etiam indole sua adductum accessisse existimo.

Voluptatem igitur Vergilius appetivit, sed sicut Epicurus iucunde vivere putabat, si severe atque honeste viveret. Laudat iustitiam (georg. II 474), temperantiam et industriam (II 472), quin etiam iustitiam et mentem sibi consciam recti enumerat una cum dis (Aen. I 604). Bonam atque modestam agricolarum vitam laudando reprehendit vitia, quae illis temporibus florebant: luxuria iniustitia, intemperantia, cupiditates libidinosae, nimius amor honoris. Haec vitia ipse vitavit se recipiendo a vita publica in solitudinem, sed tamen se Romanum esse semper sibi conscius est superbus atque elatus gloria imperii Romani. cf. Verg. Aen. VI 851—853:

Tu regere imperio populos, Romane, memento —
Hae tibi erunt artes — pacique inponere morem,
Parcere subiectis, et debellare superbos.

Qua in re non cum Epicuro consentire videtur, cuius sententiam refert Lucretius V 1125 sq.:

Ut satius multo iam sit parere quietum
Quam regere imperio res velle et regna tenere,

quibus versibus remittit ius regnandi et imperium orbis. Cum vero mirum non est Epicurum ita sensisse, cuius temporibus Graecia iam delapsa erat e gloria ad servitium, tum non miramur, quod Vergilius gloria quam Roma Augusto imperatore assecuta est, elatus est ad maximum patriae amorem et summam superbiam. Neque vero versus Aen. VI 851—853 probant Vergilium sententiam priorem commutavisse, id quod Woehler (p. 3) ex iis concludit. Vergilius non ut Epicurus et Lucretius studium imperandi omnino condemnavit, ipse solum a rebus publicis se recepit, civis Romanus populo Romano attribuit ius regnandi totum orbem digressus a disciplina Epicurea.

Iam restat ut moneam Vergilium Epicuri doctrinam secutum artium originem ad usum rettulisse. cf. Verg. georg. I 133:

ut varias usus meditando extunderet artis.

Cetera vero, quae dicit de origine cultus humani (georg. I

---

[5]) cf. Lucr. III 937.

118—159), adeo exornata sunt more poetarum ut non certae ea philosophiae attribuere possimus, etsi nonnulla e Lucreti copia dicendi sumpsit.

Vita atque moribus Vergili consideratis iam quaeramus, num Vergilius de dis idem senserit cum Epicureis. Epicurus vulgi de dis opiniones pravas esse et impias credidit, sed haud negavit deos omnino esse, quibus hominum formam attribuit et quos aeternos atque beatos habebat. Cum vero beati essent et beatam vitam in animi securitate et in omnium vacatione munerum poneret Epicurus, deos quietos habebat haud curantes vel res humanas vel mundum. Ea de causa dicit preces atque timorem deorum esse inanes, sed deos venerari fas esse [6]). Vergilius etsi nusquam dilucide dicit, tamen nonnullis sententiis et tota carminis ratione indicat, quid de dis senserit.

Vergilius in componendo carmen quod inscribitur Aeneis Homeri exemplum secutus et Homeri carmina inprimis imitatus est. Homerus quidem deos atque deas, quos introduxit, tanto vigore et animi et corporis instruxit, ut sanguinis pleni videantur, ut etiam hodie apud nos tamquam vivere et vigere videantur. At dei atque deae, quos finxit Vergilius, umbrae vel imagines inanes esse videntur, quae vivere simulant, non vivunt, etsi et loquuntur et agunt tamquam homines et vel totius rei auctores sunt. Non vero dubitare possumus, quin Vergilius deos non solum agentes facere, sed etiam vivendi vigorem iis praebere potuisset, si ei ipsi iam vere viventes fuissent. Itaque hoc carmen legentes iam suspicamur Vergilium antiquam deorum opinionem non servavisse. Neque in eclogis aut georgicon libris Vergilius antiquam Romanorum religionem testatur. Invocat quidem deos atque narrat fabulas deorum, tamen non licet negare eum de deorum potestate dubitavisse. Sed fabulae deorum ei tamquam ornatus poeticus erant et deos invocare debebat quod deos populi Romani erant, quorum cultus renovatus erat ab Augusto, in cuius honorem Vergilius hoc carmen composuit. Ipsum autem credidisse deos omnia regere suo arbitrio et precibus sacrisque flecti posse nusquam probatur.

Quae cum ita sint maximi momenti videntur esse nonnulli loci, quibus elucet Vergilium re vera ab antiqua deorum opinione discessisse [7]). Saepe enim Vergilius Lucreti exem-

---

[6]) cf. Epic. ep. III 123 (Usen. Epic. p. 59, 14 sqq.). frg. 359, 384, 387, 352. Lucr. II 646—651, 1093 sq., V 146—175, 1159—1238.

[7]) Servius iam ad plurimos versus annotavit Vergilium Epicureos secutum deorum potestatem negavisse; sed plerumque ex Vergili verbis plura concludit quam licet velut ex versibus georg. III 525, Aen. II 405, 515, IV 697 (cf. ad Aen. X 467), VI 885 sq., VII 4.

plum secutus nominibus deorum usus est, ut vires naturae iis significet[8]).

Nonnullis autem locis cognoscere possumus Vergilium dubitavisse regerentne dii mundum et hominum fata, quin etiam apparet Epicureos secutum poetam eos quietos, non curantes de rebus humanis putavisse. Quorum versuum fides eo augetur quod eos legimus in Aeneïdos libris, quorum fabula exigit, ut diis regimen mundi attribuatur. Vergilius homines de deorum postestate aut de obsequio et misericordia dubitantes inducit hisce versibus:

Aen. I 603:

Di tibi, si qua pios respectant numina, si quid.

Aen. II 689:

Iuppiter omnipotens, precibus si flecteris ullis.

Aen. IV 382:

Spero equidem mediis, si quid pia numina possunt.

Maximum autem argumentum nobis praebent versus Aen. VI 376, IV 379 sq., II 536, georg. I 331 sqq., Aen. IV 206—210, e quibus perspicuum est Vergilium deos precando flecti negavisse et eos a curis hominum alienos esse putavisse. Ea de causa fulmina, quae montes instar hominum feriant, non tamquam poenam Iovis hominibus timenda esse dicit et timorem fulminis humilem pavorem appellat.

cf. Aen. VI 376:

Desine fata deum flecti sperare precando.

Aen. IV 379 sq.:

Scilicet is superis labor est, ea cura quietos
Sollicitat. . . . .

Aen. II 536:

Di, si qua est caelo pietas, quae talia curet.

georg. I 331 sqq.:

Per gentes humilis stravit pavor; ille flagranti
Aut Athon aut Rhodopen aut alta Ceraunia telo
Deicit. . . . .

Aen. IV 206—210:

Iuppiter omnipotens, cui nunc Maurusia pictis
Gens epulata toris Lenaeum libat honorem,
Aspicis haec? an te, genitor, cum fulmina torques,
Nequiquam horremus, caecique in nubibus ignes
Terrificant animos et inania murmura miscent?

His in rebus Epicuri auctoritate commotus esse videtur, quod vocabula atque argumenta Lucreti Epicurei adhibet. Nam

---

[8]) cf. ecl. IV 32, VII 60. georg. I 297, 418. II 2, 20, 37, 113, 143, 228 sq., 275, 325—329, 419, III 60, 64, 97, 137. Lucr. I 10 sqq., 250, II 991 sqq., V 14.

fulmina non tamquam poenam a Iove mitti probat Lucretius vv. VI 387—422 atque praeter alia eodem argumento utitur quod Vergilius refert: saepe enim locos inanes fulmine percuti velut mare atque montes[9]). Praeterea deos appellat quietos sicut Lucretius[10]) et ea de causa quod quieti sint eos nihil de rebus humanis atque terrestribus curare putat, quod argumentum iterum ex Lucreti carmine sumptum est[11]).

Itaque putare licet Vergilium antiquam Romanorum religionem reliquisse. Neque vero deos omnino esse negavit, quin etiam georg. I 338—340 pietatem et cultum deorum commendat sicut Epicurus fecit.

cf. georg. I 338—340:

In primis venerare deos atque annua magnae
Sacra refer Cereri laetis operatus in herbis
Extremae sub casum hiemis, iam vere sereno.

Epic. frg. 352, 56 (= Usen. Epic. p. 237, 1—4): „his terroribus ab Epicuro soluti et in libertatem vindicati nec metuimos eos, quos intellegimus nec sibi fingere ullam molestiam nec alteri quaerere, et pie sancteque colimus naturam excellentem atque praestantem“. cf. Epic. frg. 385, 387.

Satis igitur perspicuum esse mihi videtur Vergilium in iis quae de dis sensit consensisse cum Epicureis. Priusquam autem ad aliam rem tractandam transimus, restat ut quaeramus, num Vergilius cum Epicureis negaverit divinam mentem in mundo inesse et ratus sit vi materiae sola omnia creata atque animata esse, ita ut morte et corpus et anima dissolverentur neque anima post mortem a corpore seperata vivere posset, qua de causa metus mortis atque Acherontis omittendus esset[12]).

Ad hanc rem nobis adhibendi sunt versus georg. IV 219—227:

His quidam signis atque haec exempla secuti
Esse apibus partem divinae mentis et haustus
Aetherios dixere; deum namque ire per omnis
Terrasque tractusque maris caelumque profundum;
Hinc pecudes, armenta, viros, genus omne ferarum,
Quemque sibi tenuis nascentem arcessere vitas;

---

[9]) cf. Lucr. VI 421 sq. cum Verg. georg. I 331 sqq.

[10]) cf. Lucr. V 168, VI 73.

[11]) cf. Lucr. II 646 sqq., V 165 sqq., VI 58. — Woehler (p. 6) iam demonstravit Vergilium hac in re non ab Ennio, sed a Lucretio pendere, quamquam Ennius Telamonem credentem deos non de hominibus curare fecit (cf. frg. scaen 316 Vahlen). Ennius enim de deorum potestate dubitabat ea de causa quod bona et mala non iuste distributa essent in homines, cum Lucretius et Vergilius Epicurum secuti eos nihil curantes putarent quod „quieti“ essent.

[12]) cf. Lucr. II 180 sq., 1002 sq., III 161 sq., III 552 sq., III 37, 1076 sqq.

Scilicet huc reddi deinde ac resoluta referri
Omnia, nec morti esse locum, sed viva volare
Sideris in numerum atque alto succedere caelo.

Quibus versibus Vergilius loquitur de aliis quibusdam, qui divinam mentem inesse in mundo putarent, quibus Vergilius ipse non assentiri videtur[13]). Nam etsi non dicit quid ipse senserit, tamen ex silentio concludere licet Vergilium hanc disciplinam veram esse negavisse. Postquam demonstravit quanta prudentia apes sint, refert alios ea de causa dixisse apes aliquid divinae mentis habere. Quam mentem — secundum eorum disciplinam — omnia creavisse et in omnibus rebus atque animalibus inesse, ita ut post mortem anima ad aetherem redeat, non omnino dissolvatur. Ex nullo autem verbo manifestum est Vergilium ipsum ita sensisse, sed ea tamquam aliorum solum doctrinam profert. Alio autem loco plane et diserte declarat se omnino non credere bestias, etsi magna prudentia sint, divina mente praeditas esse. Negat enim georg. I 415—423 corvos divinitus ingenium habere, quibus in versibus certe secutus est Lucretium (cf. V 1083—1086). Non ergo licet putare Vergilium apibus divinam mentem attribuisse. Quae cum ita sint Vergilius georg. IV 219—227 doctrinam, quacum ipse non consentit, profert, id quod ex silentio iam conclusimus. Nam si a prima sententia quam refert dissentit, dissentit etiam a ceteris, quas una cum prima refert. Sed vi huius doctrinae animus Vergili maxime permotus videtur esse, cum eam hoc loco referat et in ea parte libri Aeneidos VI, quam Graece vocamus ἐσχατολογίαν ea tamquam fundamento utatur. cf. Aen. VI 724—751.

Neque vero ex hoc Aeneidos libro VI concludere licet hanc doctrinam Vergilium re vera secutum esse, etsi ad carmen ornandum eam adhibet poetica licentia usus. Vergilius eodem modo, quo deos Homeri auctores totius fabulae fecit non ratus eos aliquid potestatis habere, in carmine quod secundum Homeri carmina disposuit desistere non potuit, quin Aeneam ad inferos descendentem faceret sicut Homerus Ulixem. Cum vero Epicuri secta, quam Vergilius secutus est, animas post mortem apud inferos vivere negaret, ad hanc poematis partem aliam sectam adhibere debebat; elegit autem doctrinam Stoicorum, qui permulta sumpserant e Pythagorea atque Orphica doctrina. cf. Norden, Aeneis Buch VI p. 17 sqq. Neque vero mirum est animum poetae imaginibus tantae granditatis adeo

---

[13]) Quamquam huius doctrinae auctorem non nominat, intellegere possumus hanc esse doctrinam Stoicam, quae plurima Pythagorae et Platonis doctrinae debet et quam Vergilius diserte secutus est Aen. VI 724 sqq. cf. Norden, Aeneis Buch VI p. 17.

captum esse, ut eas carmini suo insereret, etsi ipsi quasi fabulae erant. Accedit quod maxime idoneae erant ad summis laudibus efferendum imperium Romanum atque gloriam gentis Iuliae usque ad Augustum imperatorem, id quod propositum totius carminis erat, sed alio loco fieri non potuit. Ita factum est, ut hic liber VI summum argumentum contineat et quasi summa totius carminis sit. Tamen a ceteris libris alienatus est. Nam cum solus a fabulis ad res gestas Romanorum transit, tum solus doctrinam, quae de animae post mortem vita agit, refert, quae doctrina in ceteris carminis libris nulla auctoritate videtur esse. Itaque cum ex proposito carminis explicare possimus, cur Vergilius hoc libro doctrinam Stoicam rettulerit, non licet ex eo concludere eum de anima morteque idem sensisse cum Stoicis et sententiam priorem commutavisse ex quo georgicon libros scripserat[14]. Alia e re Hirst[15] suspicatus est hanc doctrinam Vergilio ipsi alienam fuisse. Putat enim Hirst, cuius sententiae assentior, Vergilium ipsum hoc indicare fingendo Aeneam et intrare ad inferos et exire per portam falsorum somniorum (cf. Aen. VI 283 sq., 897). Non igitur versus Aen. VI 724 sqq. ad rem de qua agimus pertinent.

Neque ex versibus, quibus Vergilius de anima ipsa et de morte locutus est, concludere possumus, utrum crediderit animam corpoream et mortalem esse an immortalem. Versus quidem Aen. IV 704 sq. probant Vergilium Lucreti de anima doctrinam cognovisse et artis vocabuiis eius usum esse. Tamen rem quam tractamus in incerto relinquunt, cum Vergilius hoc dicere posset usus iis, quae in moribundis observamus, haud spectans ad ullam philosophiam.

cf. Verg. Aen. IV 704 sq.:

Sic ait et dextra crinem secat: omnis et una
Dilapsus *calor* atque *in ventos* vita *recessit*[16].

Lucr. III 128 sq.:

Est igitur *calor* ac *ventus* vitalis in ipso
Corpore, qui nobis moribundos deserit artus.

---

[14]) Minimi est momenti quod hoc quoque libro pendet a Lucreti copia dicendi. cf. Norden ad Aen. VI 723 sqq.

[15]) Class. Rev. 26 (1912) p. 82 sq.

[16]) Woehler l. l. p. 11 sq. aliis etiam versibus demonstrare conatus est Vergilium in iis quae de anima dicit a Lucretio pendere. Equidem ei non assentior. Quin Vergilius Lucreti versus, qui agunt de anima, cognoverit, haud dubium est, cum totum carmen tanto studio legerit, sed verba quibus inter se consentiunt tam minimi sunt momenti, ut Lucreti apud Vergilium valere auctoritatem in his quidem rebus non probent, praesertim cum non spectare videantur ad ullam doctrinam. cf. Verg. Aen. III 308, georg. III 272. Aen. XII 269, II 355. — Lucr. III 527 sq., Verg. Aen. II 120, V 395, III 29, IV 385. — Aen. I 98, II 562, VIII 388—390. Lucr. III 591 sq. — Verg. Aen. XI 718 sq., VI 730, XI 746, georg. III 85, Lucr. III 288 sq.

Lucr. III 436—439:

Et nebula ac fumus quoniam discedit in auras,
Crede animam quoque diffundi multoque perire
Ocius et citius dissolvi in corpora prima,
Cum semel ex hominis membris ablata recessit.

Sed versus georg. II 490—492 ad hanc rem cognoscendam adhibere debemus.

Verg. georg. II 490—492:

Felix, qui potuit rerum cognoscere causas
Atque metus omnis et inexorabile fatum
Subiecit pedibus strepitumque Acherontis avari.

Hi versus ad Lucretium spectant, quem aemulari Vergilius cupit, sed ad agrestes Musas revertitur, cum Lucreti carmen imitari sibi non concessum sit a Musis. Non vero felicem dicit Lucretium quod poeta tanto vigore fuerit, sed quod cognoverit rerum causas et mortis metum vicerit carmine suo. Vergilius haec non dicere poterat, nisi ipse credidisset re vera disciplinam Lucreti i. e. Epicuri metum mortis abstulisse. Ergo hac in re Vergilius secutus est Lucretium, qui cum Epicuro magistro docuit mortem nihil esse ad hominem, quod anima sine corpore vivere non posset[17]). Ea de causa Vergilius georg. IV 219 sqq. doctrinam Stoicam tamquam aliorum doctrinam affert.

Licet igitur putare Vergilium, cum georgicon libros scriberet, Lucretium secutum divinam mentem in mundo inesse negavisse, ita ut animam quoque corpoream esse putaret, quae post mortem sine corpore vivere non posset. Eum autem postea ad Stoicam doctrinam se convertisse non probatur sexto Aeneidos libro, eo minus quod verisimile est Vergilium sextum illum librum concepisse eodem fere tempore quo scripsit quartum georgicon librum, quo refert Stoicam illam doctrinam. Nam sextum Aeneidos librum iam promisit georg. III 34 sqq.[18]) Malim igitur putare Stoicam de anima doctrinam, quam argumento carminis atque fabula coactus carmini inseruit, ab ipsius sententia alienam esse.

Iam quaeramus quid Vergilius senserit de origine mundi, de qua loquitur copiose ecl. VI 31—40. Hoc loco Vergilius ea dicere videtur, quae ipse credidit, cum non est cur a sua sententia discesserit, eo magis quod Vergilius, quamquam verbis atque artis vocabulis Lucreti usus est, tamen disciplinam Lucreti i. e. Epicuri non omnino secutus est, id quod inter-

---

[17]) cf. Lucr. III 828 sqq.
[18]) cf. Norden, Aeneis Buch VI p. 3 init.

pretando videbimus. Si eo loco quo ad Lucreti carmen spectat et hoc carmen omnium carminum summum esse praedicat et Lucreti verbis usus est, tamen a Lucreti disciplina nulla re coactus dissentit, putare licet eum dissentire quod aliter senserit ac Lucretius. Sed videamus locum ipsum.

Verg. ecl. VI 31—40:

Namque canebat, uti magnum per inane coacta
Semina terrarumque animaeque marisque fuissent
Et liquidi simul ignis; ut his ex omnia [19]) primis,
Omnia, et ipse tener mundi concreverit orbis;
Tum durare solum et discludere Nerea ponto
Coeperit et rerum paulatim sumere formas;
Iamque novum terrae stupeant lucescere solem,
Altius atque cadant summotis nubibus imbres,
Incipiant silvae cum primum surgere cumque
Rara per ignaros errent animalia montis.

Ex quattuor igitur elementis, quae primo „magnum per inane" coacta i. e. mixta erant, mundum factum esse Vergilius putavit: ex terra, anima, aqua, igni. Ex quibus primo tener mundi orbis concrevit i. e. caelum [20]), ut primus Vossius interpretatus est (cf. Forbiger ad ecl. VI 34). Deinde maria à terra se seiunxerunt, tum variae res fiebant, denique sol et imber, qui omnes res caelestes significant, creati sunt et silvae atque

---

[19]) Scripsi „his ex omnia primis" Peerlcampum et Jahnum secuta, quamquam codices vulgati tradunt „his exordia primis". Verba enim „ut his exordia primis omnia" non sunt perspicua. Desideramus praepositionem a qua pendent verba „his primis"; praeterea non intellegimus quid significent „exordia omnia", quae una cum orbe mundi ex seminibus creantur. Cum enim eodem loco quo mundi orbem Vergilius exordia illa haberet (cf. „exordia prima et ipse mundi orbis"), non fieri potest, quin ex seminibus fierent exordia, deinde ex exordiis mundus, id quod Pascal demonstrare conatus est. cf. Pascal, La dottrina epicurea nell'egloga VI di Vergilio. Atti della R. Accademia delle Scienze di Torino 37 (1901/02) p. 172. Lectio igitur „his exordia primis" abicienda est. Accipiendum autem esse mihi videtur id quod exhibet cod. P. „his ex omnia primis, omnia". Haec vera Vergili verba esse confirmari mihi videtur ea re quod Lucretius I 61, cum de eadem re loquatur, eadem verba usurpavit et sicut Vergilius in fine versus posuit, ita ut Vergilius ea ex hoc Lucreti versu sumpsisse videatur. Nam verba „exordia primis" nusquam in fine versus invenimus apud Lucretium, solum „exordia prima" (V 675) atque hoc cum de longe alia re agatur. Praeterea Lucreti exemplum etiam secutus est Vergilius repetendo verbum „omnia" isdem versuum locis quibus Lucretius VI 528 sq. Neque praepositionis inversio aliena est a Vergili usu dicendi, cum legamus ecl. VI 19 „ipsis ex vincula sertis" et Aen. V 19 „vespere ab atro". Accedit quod verba „his ex omnia primis, omnia" facilius depravari potuerunt; librarius cum et inversio praepositionis et verbum „omnia" repetitum inusitata essent, mutavit verba „his omnia" in verbum „exordia", quod bene cognovit.

[20]) Universus enim mundus non significari potest hoc versu, cum verba „et ipse" partem totius mundi solum nominari indicent et terra atque maria postea seorsum nominentur.

animalia fieri coeperunt. In his versibus Vergilius artis vocabula Lucreti adhibuit[21]), ita ut Lucreti philosophiam nos legere putemus. At comparemus Lucreti sententias cum Vergili, id quod fecit iam Pascal La dottrina epicurea nell'egloga VI di Vergilio. Atti della R. Accademia delle Scienze di Torino 37 (1901/02) p. 168—177.

Ex elementis quibusdam, quae non qualitate, sed forma sola inter se differant, omnia miscendo facta esse dicit Lucretius qui Epicurum sequitur.

cf. Lucr. I 684—689:

Verum, ut opinor, itast: sunt quaedam corpora, quorum
Concursus motus ordo positura figurae
Efficiunt ignis, mutatoque ordine mutant
Naturam, neque sunt igni simulata neque ulli
Praeterea rei quae corpora mittere possit
Sensibus et nostros adiectu tangere tactus.

Lucr. I 817—829:

Atque eadem magni refert primordia saepe
Cum quibus et quali positura contineantur
Et quos inter se dent motus accipiantque:
Namque eadem caelum mare terras flumina solem
Constituunt, eadem fruges arbusta animantis,
Verum aliis alioque modo commixta moventur.
Quin etiam passim nostris in versibus ipsis
Multa elementa vides multis communia verbis,
Cum tamen inter se versus ac verba necessest
Confiteare et re et sonitu distare sonanti.
Tantum elementa queunt permutato ordine solo:
At rerum quae sunt primordia, plura adhibere
Possunt unde queant variae res quaeque creari.

Epic. ep. I 54 (= Usen. Epic. p. 14, 14 sqq.): *καὶ μὴν καὶ τὰς ἀτόμους νομιστέον μηδεμίαν ποιότητα τῶν φαινομένων προσφέρεσθαι πλὴν σχήματος καὶ βάρους καὶ μεγέθους καὶ ὅσα ἐξ ἀνάγκης σχήματι συμφυῆ ἐστι. ποιότης γὰρ πᾶσα μεταβάλλει· αἱ δὲ ἄτομοι ὀυδὲν μεταβάλλουσιν.*

ep. I 42 (= Usen. Epic. p. 7, 17 sqq.): *Πρός τε τούτοις τὰ ἄτομα τῶν σωμάτων καὶ μεστά, ἐξ ὧν καὶ αἱ συγκρίσεις γίνονται καὶ εἰς ἃ διαλύονται, ἀπερίληπτά ἐστι ταῖς διαφοραῖς τῶν σχημάτων· οὐ γὰρ δυνατὸν γενέσθαι τὰς τοσαύτας διαφορὰς ἐκ τῶν αὐτῶν σχημάτων περιειλημμένων.*

Est autem secundum Epicurum et Lucretium magnum inane, in quo corpora sita sunt, et inane est in omnibus rebus.

---

[21]) semina, magnum per inane. cf. Woehler p. 4.

cf. Lucr. I 420 sq.:
. . . . . . nam corpora sunt et inane,
Haec in quo sita sunt et qua diversa moventur.
Lucr. I 330:
. . . . namque est in rebus inane.

Epic. ep. I 40 (= Usen. Epic. p. 6, 8 sqq.): *τόπος δὲ εἰ μὴ ἦν, ὃν κενὸν καὶ χώραν καὶ ἀναφῆ φύσιν ὀνομάζομεν, οὐκ ἂν εἶχε τὰ σώματα ὅπου ἦν οὐδὲ δι' οὗ ἐκινεῖτο, καθάπερ φαίνεται κινούμενα.* ep. I 43, 44 (= Usen. Epic. p. 8, 1 sqq): *Κινοῦνταί τε συνεχῶς αἱ ἄτομοι τὸν αἰῶνα .. καὶ αἱ μὲν εἰς μακρὰν ἀπ' ἀλλήλων διιστάμεναι, αἱ δὲ αὐτὸν τὸν παλμὸν ἴσχουσιν, ὅταν τύχωσι τῇ περιπλοκῇ κεκλιμέναι ἢ στεγαζόμεναι παρὰ τῶν πλεκτικῶν. ἥ τε γὰρ τοῦ κενοῦ φύσις ἡ διορίζουσα ἑκάστην αὐτὴν τοῦτο παρασκευάζει, τὴν ὑπέρεισιν οὐχ οἵα τε οὖσα ποιεῖσθαι.*

Consentiunt igitur Vergilius atque Epicurus ea re quod uterque inane aliquid esse putat. At dissentiunt in eo quod semina omnium rerum nominant. Vergili semina sunt quattuor illa elementa Empedoclis, in quem Lucretius I 705 sqq. invectus est negans ex quattuor elementis omnia facta esse.

cf. Arist. Metaphys. A_3. 984ª 8 (Diels Vorsokrat. I³ p. 204, 10 sq.): *Ἐμπεδοκλῆς δὲ τὰ τέτταρα πρὸς τοῖς εἰρημένοις* [sc. *ὕδωρ, ἀήρ, πῦρ*] *γῆν προσθεὶς τέταρτον.* Simpl. phys. 25, 21 (Diels Vorsokrat. I³ p. 204, 13 sq.): *οὗτος δὲ τὰ μὲν σωματικὰ στοιχεῖα ποιεῖ τέτταρα, πῦρ καὶ ἀέρα καὶ ὕδωρ καὶ γῆν.*

Quattuor illa elementa ita disposuit Empedocles, ut terram animam aquam quasi unum elementum opponeret quarto, quod est ignis.

cf. Arist. de gen. et corr. B_3. 330ᵇ 19 (Diels Vorsokrat. I³ p. 206, 22 sq.): *ἔνιοι δ' εὐθὺς τέτταρα λέγουσιν οἷον Ἐμπεδοκλῆς· συνάγει δὲ καὶ οὗτος εἰς τὰ δύο· τῷ γὰρ πυρὶ τἆλλα πάντα ἀντιτίθησιν.* Arist. Metaph. A_4. 985ª 21 (Diels Vorsokrat. I³ p. 206, 32 sqq.): *οὐ μὴν χρῆταί γε τέτταρσιν, ἀλλ' ὡς δυσὶν οὖσι μόνοις, πυρὶ μὲν καθ' αὑτό, τοῖς δ' ἀντικειμένοις ὡς μιᾷ φύσει, γῇ τε καὶ ἀέρι καὶ ὕδατι.*

Idem invenimus apud Vergilium, qui coniungit semina terrarumque animaeque marisque (v. 32), a quibus discernit ignem (v. 33). Sed Empedocles inane esse negat, quod esse Vergilius doctrinam Epicuream secutus confirmat (v. 31).

cf. Emped. frgg. 13, 14 (Diels Vorsokrat. I³ p. 228):

13. οὐδέ τι τοῦ παντὸς κενεὸν πέλει οὐδὲ περισσόν.
14. τοῦ παντὸς δ' οὐδὲν κενεόν· πόθεν οὖν τί κ' ἐπέλθοι;

Ex versibus ecl. VI 34 sqq. cognoscimus, quomodo Vergilius mundum creatum esse putaverit. Primum mundi orbis concrevit, postea (cf. „tum“) terra atque maria se separaverunt. Sunt igitur elementa ignis atque aëris quae formant mundi

orbem, cum terra atque aqua mixtae relinquantur. Mundi autem orbis est caelum, id quod supra iam probavimus.

Hoc quoque ad Empedoclis doctrinam spectat, qui docuit primum ignem atque aërem formavisse caelum et sidera, postea terram atque maria in medio relicta se discrevisse. At abhorret ab Epicuri doctrina, quam legimus apud Lucretium V 449—459. Quibus versibus Lucretius dicit primum terram, deinde caelum et sidera, tum maria facta esse.

cf. Philo de provid. II 60 p. 86 Aucher (Diels Vorsokrat. I [3] p. 208, 19 sqq.): „eodem modo etiam mundi partes confici videntur, ut dicit Empedocles. postquam enim secretus est aether, aer et ignis sursus volaverunt et caelum formatum quod in latissimo spatio circumferebatur. ignis autem qui caelo paulo inferior manserat, ipse quoque in radios solis coacervatus est. terra vero in unum concurrens et necessitate quadam concreta in medio apparens consedit.“ Aët. II 6, 3 [D. 234] (= Diels Vorsokrat. I [3] p. 208, 30 sqq.): *Ἐμπεδοκλῆς τὸν μὲν αἰθέρα πρῶτον διακριθῆναι, δεύτερον δὲ τὸ πῦρ, ἐφ' ᾧ τὴν γῆν, ἐξ ἧς ἄγαν περισφιγγομένης τῇ ῥύμῃ τῆς περιφορᾶς ἀναβλύσαι τὸ ὕδωρ· ἐξ οὗ θυμιαθῆναι τὸν ἀέρα, καὶ γενέσθαι τὸν μὲν οὐρανὸν ἐκ τοῦ αἰθέρος, τὸν δὲ ἥλιον ἐκ τοῦ πυρός, πιληθῆναι δὲ ἐκ τῶν ἄλλων τὰ περίγεια.*

Lucr. V 449—459:

Quippe etenim primum terrai corpora quaeque,
Propterea quod erant gravia et perplexa, coibant
In medio atque imas capiebant omnia sedes;
Quae quanto magis inter se perplexa coibant,
Tam magis expressere ea quae mare sidera solem
Lunamque efficerent et magni moenia mundi:
Omnia enim magis haec e levibus atque rotundis
Seminibus multoque minoribu' sunt elementis
Quam tellus. ideo, per rara foramina, terrae
Partibus erumpens primus se sustulit aether
Ignifer et multos secum levis abstulit ignis.

Versibus 34—40 Vergilius de sole, imbre, animalibus iam creatis loquitur, non explicat quomodo facta sint. Sed quod dicit silvas surgere coepisse (v. 39), haec verba ita interpretari licet: tellurem ipsam plantas procreavisse. Atque addere possumus secundum Vergilium terram etiam animalia atque homines primum fudisse, id quod legimus georg. II 340 sq.:

Cum primae lucem pecudes hausere virumque
Terrea progenies duris caput extulit arvis.

Qua in re Vergilius consentit cum Epicureis, sed etiam cum Empedocle.

cf. Lucr. V 914:

Tempore quo primum tellus animalia fudit.

Lucr. V 787—793:

Sic nova tum tellus herbas virgultaque primum
Sustulit, inde loci mortalia saecla creavit
Multa modis multis varia ratione coorta.
Nam neque de caelo cecidisse animalia possunt,
Nec terrestria de salsis exisse lacunis:
Linquitur ut merito maternum nomen adepta
Terra sit, e terra quoniam sunt cuncta creata.

Lucr. V 1409:

Quam silvestre genus capiebat terrigenarum.

Aët. V 26, 4 [D. 438] (= Diels Vorsokrat. I[3] p. 212, 1 sq.):
Ἐμπεδοκλῆς πρῶτα τὰ δένδρα τῶν ζῴων ἐκ γῆς ἀναφῦναί φησι.
Aët. V 18, 1 [D. 427] (= Diels Vorsokrat. I[3] p. 214, 1 sq.):
Ἐμπεδοκλῆς ὅτε ἐγεννᾶτο τὸ τῶν ἀνθρώπων γένος ἐκ τῆς γῆς ......
Varro Menipp. 163 (= Diels Vorsokrat. I[3] p. 213, 14 sq.):

Empedocles natos homines ex terra ait ut blitum.

Vergili, Lucreti Epicurei, Empedoclis de origine mundi sententiis inter se comparatis mihi persuasum est Vergilium, quamquam Lucreti ratione dicendi usus est, tamen non disciplinam eius omnino secutum esse, sed originem mundi explicavisse eodem modo quo Empedocles. Empedoclis autem doctrinam cum Epicurea commiscuit. Epicurus enim secutus inane esse putat, id quod negat Empedocles.

Aliud Pascalo persuasum est. Qui putat Epicurum rationem, qua mundum creatum esse existimat, totam sumpsisse e doctrina Empedoclis, ita ut Vergilius, qui doctrinam Epicuream e Lucreti carmine sumptam enarraret, tamen cum Empedoclis doctrina consentiat. Qua in re equidem dissentio a Pascalo, quamquam non nego Epicurum nonnullas res ab Empedocle mutuavisse. Sed non fieri potest, quin primordia illa Epicurea eadem esse putemus ac quattuor illa Empedoclis elementa innixi Lucreti versibus V 429—431:

Tandem conveniant ea quae convecta repente
Magnarum rerum fiunt exordia semper,
Terrai maris et caeli generisque animantum.

Ex quibus versibus Pascal concludit Lucretium putavisse ex „coniectu materiai“ (v. 416) quae non est qualitate diversa, fieri exordia terrae, maris, caeli, animantium, quae eadem sint atque Empedoclis elementa atque ex quibus res variae fiant sicut apud Empedoclem. At exordia illa (Lucr. V 430) non sunt aliud primordiorum genus, sed haec verba significant „ex primordiis terra, maria, caelum, genus animantium originem

trahunt“ [22]). Vergilius autem haud locutus est de exordiis, quae ex seminibus fiunt, sed de quattuor elementis qualitate diversis. Verbum enim „exordia“ (ecl. VI 33) non a Vergilio scriptum esse supra iam demonstravimus. Licet autem Vergilius „exordia“ scripserit, nihil aliud dixit ac Lucretius: ex elementis vel primordiis omnes res initia traxisse. Atque re vera Vergilium Empedoclis elementa nominare elucet ea e re quod ignem secernit a ceteris elementis, quae quasi in unum elementum comprehendit. Neque vero licet id quod Lucretius „inane“ appellat recognoscere in eo quod Empedocles Graece nominat *σφαῖρος*. Empedocles enim putat elementa tum, cum ab amore coacta sunt, globum formare; negat autem inane esse praeter hunc elementorum globum [23]). At Lucretius ipsis verbis dicit praeter materiam esse inane, quod sit in rebus et extra res. Ordine quoque, quo mundi partes fierent, dissentiunt Empedocles et Lucretius: primum terram factam esse dicit Lucretius, caelum Empedocles [24]), id quod nihil esse nisi „una illusione di linguaggio“ (Pascal p. 176) non intellego. Itaque Epicurus, quamquam multa sumpsit ex Empedoclis disciplina, tamen dissentit ab eo quod inane esse existimat et alium rerum nascentium ordinem exhibet. Vergilius autem elementa et ordinem rerum nascentium ab Empedocle sumpsit et addidit inane illud Epicureum.

Restat ut paucos versus afferam, e quibus manifestum est Vergilium in nonnullis rebus physicis etiam ab Epicureis pendere, etsi tam pauci et incerti sunt, ut perpauca solum de iis, quae in physicis Vergilio placuerit, ex iis concludere liceat. Versus georg. II 484, III 105 sq. indicare videntur Vergilium sicut Epicurum animam in sanguine esse et pavorem in pectore gigni putavisse.

cf. Verg. georg. II 484:

Frigidus obstiterit circum praecordia sanguis.

Verg. georg. III 105 sqq.:

Cum spes arrectae iuvenum, exultantiaque haurit
Corda pavor pulsans? . . . . . .

Lucr. III 141:

Hic exultat enim pavor ac metus . . . . .

Versus georg. IV 50 ad Epicuri doctrinam spectat, quae docet nos videre et audire exiguis corpusculis, quae manent a rebus et ad oculos atque aures perveniant.

---

22) cf. Lucr. V 471.

23) cf. frg. 27. 13. 14 (Diels Vorsokrat. I² p. 237, 228).

24) cf. Lucr. V 449 sq. Emped. ap. Aët. II 6, 3 [D. 334] (= Diels Vorsokrat. I² p. 208, 30 sqq.

cf. Verg. georg. IV 49 sq.:

. . . . aut ubi concava pulsu
Saxa sonant vocisque offensa resultat imago.

Lucr. IV 568 sq.:

Pars, solidis adlisa, locis reiecta sonorem
Reddit et interdum frustratur imagine verbi.

Epic. frg. 321 (Usen. Epic. p. 221): *Ἐπίκουρος τὴν φωνὴν εἶναι ῥεῦμα ἐκπεμπόμενον ἀπὸ τῶν φωνούντων ἢ ἠχούντων ἢ ψοφούντων· τοῦτο δὲ τὸ ῥεῦμα εἰς ὁμοιοσχήμονα θρύπτεσθαι θραύσματα . . . . . . τούτων δ᾽ἐμπιπτόντων ταῖς ἀκοαῖς ἀποτελεῖσθαι τὴν αἴσθησιν τῆς φωνῆς.*

Praeterea conferendi sunt hi versus:

Verg. georg. I 396:

Nec fratris radiis obnoxia surgere Luna.

Lucr. V 574 sq.:

Lunaque sive notho fertur loca lumine lustrans,
Sive suam proprio iactat de corpore lucem.

Epic. ep. II 94 (Usener Epic. p. 41, 8 sq.): *Ἔτι τε ἐνδέχεται τὴν σελήνην ἐξ ἑαυτῆς ἔχειν τὸ φῶς, ἐνδέχεται δὲ ἀπὸ τοῦ ἡλίου.*

Verg. georg. I 365—367:

Saepe etiam stellas vento impendente videbis
Praecipites caelo labi noctisque per umbram
Flammarum longos a tergo albescere tractus.

Lucr. II 206—209:

Nocturnasque faces caeli, sublime volantis,
Nonne vides longos flammarum ducere tractus
In quascumque dedit partis natura meatum?
Non cadere in terram stellas et sidera cernis?

Verg. ecl. X 75 sq.:

Surgamus: solet esse gravis cantantibus umbra,
Iuniperi gravis umbra, nocent et frugibus umbrae.

Lucr. VI 783—785:

Arboribus primum certis gravis umbra tributa
Usque adeo, capitis faciant ut saepe dolores,
Siquis eas supter iacuit prostratus in herbis.

Verg. Aen. I 608:

. . . . polus dum sidera pascet.

Lucr. I 231

. . . . unde aether sidera pascit?

Verg. Aen. III 199:

. . . . . ingeminant abruptis nubibus ignes.

Lucr. II 214 sq.:

Nunc hinc nunc illinc abrupti nubibus ignes
Concursant. . . . . . .

Cum ad finem prioris dissertationis partis pervenerimus, colligamus quid Vergili carminibus consideratis pro certo habeamus de Vergilio Epicureo. Vitam modestam et tranquillam, a rebus publicis remotam praefert et laudat sicut Epicurei, neque vero populi Romani cupiditatem regnandi condemnat, quin etiam Romanos ad mundum vincendum adhortatur. Ab antiqua deorum opinione discessit, sed Epicureos secutus deos esse putat, qui hominibus venerandi, sed non timendi sint: quietos enim eos esse haud curantes res humanas atque terrestres, ab ira aut gratia non tactos. Cum Epicureis negat etiam divinam mentem in mundo inesse et animam immortalem esse et apud inferos sine corpore vivere. In iis, quae de origine mundi sensit, ab Epicureis dissentit. Credidit quidem sicut Epicurei vi materiae omnia creata atque animata, animalia et homines e terra procreata, praeter materiam inane esse, sed semina Epicuri commutat cum quattuor illis Empedoclis elementis et rationem etiam, qua mundum factum esse putat, ex Empedoclis disciplina sumpsit.

Neque vero carmina probant Vergilium postea a disciplina Epicurea se avertisse. Certe quidem vitam, quam more Epicureorum sibi instituit, non mutavit. Sed etiam eum de dis consensisse cum Epicureis tum, cum Aeneïdos libros scripsit, probatur versibus Aen. IV 206—210, 379 sq. Atque Stoica de anima disciplina, quam refert Aen. VI ab ipsius sententia aliena videtur esse. Itaque non consentio cum Schmekel[25]), qui dicit totum Aeneïdos argumentum positum esse in Stoica disciplina. At recte monet Pfeiffer[26]) Vergilium caelestia atque sublimia more Stoicorum explicavisse.

IV.

De Q. Horatio Flacco Epicureo.

Horati carmina maxime imbuta sunt sententiis, quae ad philosophiam pertinent. Tamen non facile est intellegere, quid Horatius senserit, cum varias disciplinas secutus sit. Ipse quidem dicit[1]) se nullius in verba magistri iurare neque semper

[25]) cf. Schmekel, Die Philosophie der mittleren Stoa in ihrem geschichtl. Zusammenhang. 1892. p. 450 sq.
[26]) Erw. Pfeiffer, Studien zum antiken Sternglauben. 1916. p. 66 sqq.
[1]) cf. Hor. ep. I 1, 14—19, II 2, 44 sq.

eandem doctrinam consequi. Iam exposuit de Horatio philosopho praeter alios[2]) Philippson Horaz' Verhältnis zur Philosophie. Festschrift des König Wilhelms-Gymnas. Magdeburg 1911. p. 77—110. Philippsonio persuasum est Vergilium primum adhortatum esse Horatium ut Epicuri sectam sequeretur, postea eum una cum Vergilio, L. Vario, Quintilio Varo apud Philodemum Epicuri doctrinae operam dedisse. Sed mihi haud verisimile esse videtur Horatium, quem antea iam Athenis studuisse constat quam Vergilium cognoverat, illic non disciplinam Epicuri didicisse, ad quam indoles eum ultro adduxit. Sed licet Vergilius interpres doctrinae Epicureae fuerit, tamen non satis fidei habent argumenta, quae Philippson[3]) profert, ut probet Vergilium, Horatium, Varium, Varum familiariter usos esse Philodemo, quo magistro disciplinam Epicuream didicissent. Certe quidem Horatius Philodemi libros legit, sed nihil amplius licet concludere ex versibus serm. I 2, 120 sq. Uterque vero locus, quem Philippson tamquam argumenta affert ex Philodemi scriptis, adeo mutilatus est, ut nihil certi ex iis concludere possimus. Papyrus 1082, 11, 1—7 (= V. H.[2] I 92) exhibet:

οιμενκαταλλα ....
σεισφιλοσοφησαν.....
·και ουαριε καιου ....
κοιντιλισκαθαπ ......
περιφθονουκαιπε .....
ουτωςκαιτωνπε ......
ασ· παραγλλα¯α .....

Quas litteras Croenert[4]) ita explevit:

[οὗς ἀτόπως ἐν ταῖς διατριβαῖς ἐνο-]
ο[ῦ]μεν κατ' ἄλλα[ς τινὰς αἱρέ-
σεις φιλοσοφήσαν[τας, Ὁράτιε
καὶ Οὐάριε καὶ Οὐ[εργίλιε καὶ
Κοιντίλιε, καθάπ[ερ ὡς ἐν τῷ
Περὶ φθόνου καὶ Π[......,
οὕτως κἀ[ν]τ[ῆι]Πε[ρὶ παρρησί-
ας πραγματ[είαι κατεχωρίσαμεν.

---

[2]) Friedrich: Q. Horatius Flaccus. Ilbergs Jahrb. 31 (1913). p. 261—268.
Goebel: Lucrez und sein Verhältnis zu Horaz. Zeitschrift f. d. österr. Gymnas. VIII (1857) p. 421 sqq.
Kohler: Epikur u. Stoa bei Horaz. Diss. Greifswald 1911.
Merrill: On the influence of Lucretius on Horace. University of California public., class. philol. Berkeley 1905.
Reisacker, Horaz in seinem Verhältnis zu Lucrez und in seiner kulturgeschichtl. Bedeutung. Progr. Breslau 1873.
Weingaertner, De Horatio Lucreti imitatore. Halle 1874.

[3]) cf. Körte, Augusteer bei Philodem. Rhein. Mus. 45. p. 172 sqq.

[4]) Crönert, Kolotes und Menedemos. 1906. p. 127.

Philippson huic loco addit alium ex papyro 253, 12 (= V. H.[2] 196), quem ita explevit Croenert:

῾Ορά]τιε καὶ Οὐάρι[ε καὶ Οὐεργίλιε καὶ] Κοιντίλι[ε.

Cum vero nomina Vergili atque Horati non tradita, sed substituta sint, equidem fundamenta huius quaestionis non satis firme iacta esse existimo, ita ut res in dubio relinquatur. Tamen haud dubium est, quin Horatius Epicuri disciplinae summo studio studuerit et multas eius sententias acceperit. Quibus rebus Horatius fuisset Epicureus optime demonstravit Philippson, cuius in disputatione pauca repudio, plura approbo, nonnulla addo.

Sicut apud Vergilium nunc quoque agamus primo loco de Horati ratione vivendi et Philippsoni exemplum secuti primum consideremus epodos, sermones, tres priores carminum libros, deinde epistulas, carmen saeculare, quartum carminum librum, ut intellegamus num Horatius priores suas sententias servaverit necne.

Auctoritatem Epicuri probat laus illa modestiae atque paupertatis, quam semper eandem repetit, et illud „carpe diem" (carm. I 11, 8), quod identidem praedicat. Non necessarium est omnes locos ad hanc rem pertinentes enumerari, quia omnibus iam a pueris noti sunt. Ea de causa Epicuri sententias solas afferam, quibus modestam vitam laudat.

Wotke Epikur. Spruchsamml. 67 (Wien. Stud. X p. 197): *᾽Ελεύθερος βίος οὐ δύναται κτήσασθαι χρήματα πολλά* ...... Epic. ep. III 130 (Usen. Epic. p. 63, 16 sq): *Καὶ τὴν αὐτάρκειαν δὲ ἀγαθὸν μέγα νομίζομεν.* frg. 476: *πλουσιώτατον αὐτάρκεια πάντων.* ep. III 131 (Usen. Epic. p. 64, 1 sq): *καὶ μάζα καὶ ὕδωρ τὴν ἀκροτάτην ἀποδίδωσιν ἡδονήν, ἐπειδὰν ἐνδέων τις αὐτὰ προσενέγκηται.*

Horatius vero toto animo vita fruitur neque curat res futuras Epicurum secutus, qui voluptatem summum vitae bonum esse dixit et maxime vita gavisus esse videtur non curans tempora futura.

Hor. carm. I 9, 13: quid sit futurum cras fuge quaerere.

Hor. carm. I 11, 8: carpe diem, quam minimum credula postero.

Horm. carm. II 16, 25 sq.: laetus in praesens animus quod ultrast oderit curare ......

Epic. frg. 490: *ὁ τῆς αὔριον ἥκιστα δεόμενος ἥδιστα πρόσεισι πρὸς τὴν αὔριον.* frg. 491: stulta vita ingrata est et trepida: tota in futurum fertur.

Haec sunt fundamenta, quae sumpsit Epicurus ex Aristippi

philosophia, cui etiam Horatius studuit[5]). Licet Horatius haec Aristippi fundamenta maiore studio acceperit quo ipse Epicurus, tamen graviora etiam apud eum invenimus. Ipse quidem iocose se nominat „Epicuri de grege porcum" (ep. I 4, 16), sed non Epicuri philosophia abusus est ad vitam dissolutam atque ad intemperantiam. Voluptatem enim posuit in explendis necessariis atque naturalibus cupiditatibus, quae non expletae dolorem efficerent. Neque omnes voluptates petendas esse dicit, sed nonnullas fugiendas; vocibus vero „fugienda" atque „petenda" in Latinum vertit id quod Epicurus Graece nominat *ἡδονὴ αἱρετὴ καὶ φευκτή*.

cf. Hor. serm. I 2, 111—113:

Nonne, cupidinibus statuat natura modum quem,
Quid latura sibi quid sit dolitura negatum,
Quaerere plus prodest et inane abscindere soldo?

Hor. serm. I 2, 74 sq.:

Dives opis natura suae, tu si modo recte
Dispensare velis ac non fugienda petendis
Inmiscere. . . . . . .

Idem docebat Epicurus. cf. Epic. ep. III 127 (Usen. Epic. p. 62, 8 sqq.): *Ἀναλογιστέον δὲ ὡς τῶν ἐπιθυμιῶν αἳ μέν εἰσι φυσικαί, αἳ δὲ κεναί, καὶ τῶν φυσικῶν αἳ μὲν ἀναγκαῖαι, αἳ δὲ φυσικαὶ μόνον.* sent. sel. 26: *Τῶν ἐπιθυμιῶν ὅσαι μὴ ἐπ' ἀλγοῦν ἐπανάγουσιν ἐὰν μὴ συμπληρωθῶσιν, οὐκ εἰσὶν ἀναγκαῖαι ἀλλ' εὐδιάχυτον τὴν ὄρεξιν ἔχουσιν, ὅταν δυσπόριστον ᾖ <ἢ> βλάβης ἀπεργαστικαὶ δόξωσιν εἶναι.* ep. III 129 sq. (Usen. Epic. p. 63, 10 sqq.): *Πᾶσα οὖν ἡδονὴ διὰ τὸ φύσιν ἔχειν οἰκείαν ἀγαθόν, οὐ πᾶσα μέντοι <γ'> αἱρετή· καθά περ καὶ ἀλγηδὼν πᾶσα κακόν, οὐ πᾶσα δὲ ἀεὶ φευκτὴ πεφυκυῖα. τῇ μέντοι συμμετρήσει καὶ συμφερόντων καὶ ἀσυμφόρων βλέψει ταῦτα πάντα κρίνειν καθήκει.*

Ad has cupiditates explendas natura ipsa praebet opes secundum Epicurum et Horatium. cf. Hor. serm. I 2, 74: Dives opis natura suae.

Epic. ep. III 130 (Usen. Epic. p. 63, 21): *τὸ μὲν φυσικὸν πᾶν εὐπόριστόν ἐστι.*

Natura autem fines praebet intra quos vivere debemus a falsis cupiditatibus nos abstinentes.

cf. Hor. serm. I 1, 49 sq.: intra naturae finis viventi.

Hor. serm. I 1, 106 sq.:

Est modus in rebus, sunt certi denique fines,
Quos ultra citraque nequit consistere rectum.

Epic. sent. select. 15: *Ὁ τῆς φύσεως πλοῦτος καὶ ὥρισται καὶ εὐπόριστός ἐστιν· ὁ δὲ τῶν κενῶν δοξῶν εἰς ἄπειρον ἐκπίπτει*

---

[5]) cf. ep. I 1, 18. I 17, 13 sqq.

Hor. serm. I 1, 61:
Ut bona pars hominum decepta cupidine falso
'Nil satis est' inquit . . . . . .

Hor. carm. III 24, 51 sq.:
eradenda cupidinis
pravi sunt elementa . . . . . .

Hor. carm. III 16, 39 sq.:
contracto melius parva cupidine
vectigalia porrigam.

Ea de causa Horatius Epicurum secutus laudat temperantiam [6]), simplicem vitam atque tenuem victum [7]), auream mediocritatem [8]). Sed vituperat libidines atque nimias cupiditates [9]), nimium honoris et divitiarum studium [10]), intemperantiam in amore [11]) atque in voluptatibus vini epularumque [12]). Epicurus autem atque Horatius, ut qui laudent paupertatem atque eam veras divitias appellent, hac re quoque congruunt inter se, quod paupertas apud utrumque significat modicas divitias.

Hor. carm. III 16, 37:
Importuna tamen pauperies abest.

Hor. carm. III 16, 21—28:
Quanto quisque sibi plura negaverit,
Ab dis plura feret: nil cupientium
Nudus castra peto et transfuga divitum
partis linquere gestio,
Contemptae dominus splendidior rei,
Quam si quidquid arat impiger Apulus
Occultare meis dicerer horreis,
magnas inter opes inops [13]).

Epicur. Spruchs. 25 (Wiener Stud. X p. 193): *Ἡ πενία μετρουμένη τῷ τῆς φύσεως τέλει μέγας ἐστὶ πλοῦτος· πλοῦτος δὲ μὴ ὁριζόμενος μεγάλη ἐστὶ πενία.*

Epic. frg. 14: *οὐδὲ κυνιεῖν (τὸν σοφόν), ὡς ἐν τῇ δευτέρᾳ Περὶ βίων, οὐδὲ πτωχεύσειν.* frg. 475: honesta res est laeta paupertas.

Tota vero in Epicuri sententiis posita est sermo II 2, qua Horatius Ofellum rusticum facit enumerantem bona, quae

---

[6]) cf. carm. III. 4, 65—68, II 2, 1—4.

[7]) cf. carm. I 22, II 16, 13 sqq., II 18, epod. II, serm. I 1, 74, I 6, 127 sqq. II 2, II 4, II 6. — Epic. ep. III 131, frg. 466, 467.

[8]) cf. carm. II 10.

[9]) cf. serm. I 2, 111 sqq., I 1, 49 sqq., carm. I 3, 37—40, II 2, 9—12.

[10]) cf. serm. I 1, I 6, Epic. frg. 135, Epik. Spruchs. 43, 67, frg. 548.

[11]) cf. serm. I 2.

[12]) cf. serm. II 2.

[13]) Accedunt nonnulla epistularum loci: ep. I 2, 46, I 10, 32, 39—41, I 12, 3—6.

tenuis victus nobis praebeant. Ita instituit sermonem, ut primum dicat nos esurientes post opus atque labores tenuem victum libentissime edere (vv. 9—22). Deinde enumerat bona, quae ex eo capiamus: nos bene valere (vv. 70—77), ad labores officiaque bene paratos esse (vv. 77—81), senes melius curari posse (vv. 82—93), neque res neque famam imminui (vv. 94—101), nos divitiis melius uti posse (vv. 101—107), res adversas facilius ferre (vv. 107—111). Etsi Horatius nonnulla addidit, tamen non dubitare possumus, quin ratio sermonis sumpserit ex Epicuri epistula III 131 (Usen. Epic. p. 64, 1 sqq.): *καὶ μάζα καὶ ὕδωρ τὴν ἀκροτάτην ἀποδίδωσιν ἡδονήν, ἐπειδὰν ἐνδέων τις αὐτὰ προσενέγκηται. τὸ συνεθίζειν οὖν ἐν ταῖς ἁπλαῖς καὶ οὐ πολυτελέσι διαίταις καὶ ὑγιείας ἐστὶ συμπληρωτικὸν καὶ πρὸς τὰς ἀναγκαίας τοῦ βίου χρήσεις ἄοκνον ποιεῖ τὸν ἄνθρωπον καὶ τοῖς πολυτελέσιν ἐκ διαλειμμάτων προσερχομένους κρεῖττον ἡμᾶς διατίθησι καὶ πρὸς τὴν τύχην ἀφόβους παρασκευάζει.*

Omnibus his virtutibus Horatius appetivit *ἀταραξίαν* illam Epicuream i. e. tranquillitatem animi et beatitudinem, aequum animum et in rebus secundis et in rebus adversis.

Hor. carm. II 3, 1 sq.:

Aequam memento rebus in arduis
Servare mentem . . . . . .

Hor. carm. II 10, 14 sq.:

. . . . . . bene praeparatum
pectus. . . . . .

Lucr. III 936 sq.:

Cur non ut plenus vitae conviva recedis,
Aequo animoque capis securam, stulte, quietem?

Lucr. V 1116 sq.:

Divitiae grandes homini sunt vivere parce
Aequo animo: neque enim est umquam penuria parvi.

Epic. ep. III 128 (Usen. Epic. p. 62, 12 sqq.): *τούτων* (sc. *ἐπιθυμιῶν*) *γὰρ ἀπλανὴς θεωρία πᾶσαν αἵρεσιν καὶ φυγὴν ἐπανάγειν οἶδεν ἐπὶ τὴν τοῦ σώματος ὑγίειαν καὶ τὴν* <*τῆς ψυχῆς*> *ἀταραξίαν, ἐπεὶ τοῦτο τοῦ μακαρίως ζῆν ἐστι τέλος.*

Ea de causa Horatius non desistit depingere quantas sollicitudines e nimiis cupiditatibus, ex amore, divitiis, honore capiamus et monet ut voluptates quas dolor sequitur fugiamus, id quod fecit etiam Epicurus.

Hor. carm. II 16, 9—12:

Non enim gazae neque consularis
Summovet lictor miseros tumultus
Mentis et curas laqueata circum
tecta volantis.

Hor. carm. II 16, 18—22:
. . . . . quid terras alio calentis
Sole mutamus? patriae quis exul
se quoque fugit?
Scandit aeratas vitiosa navis
Cura nec turmas equitum relinquit.

Hor. carm. III 1, 47 sq.:
Cur valle permutem Sabina
divitias operosiores?

Hor. carm. III 16, 17:
Crescentem sequitur cura pecuniam.

Hor. carm. III 29, 9 sq.:
Fastidiosam desere copiam et
Molem propinquam nubibus arduis.

Hor. serm. II 7, 111—115:
. . . . adde quod idem
Non horam tecum esse potes, non otia recte
Ponere, teque ipsum vitas fugitivos et erro,
Iam vino quaerens, iam somno fallere curam;
Frustra: nam comes atra premit sequiturque fugacem.

Epikur. Spruchs. 81 (Wien. Stud. X p. 198): *Οὐ λύει τὴν τῆς ψυχῆς ταραχὴν οὐδέ τιν' ἀξιόλογον ἀπογεννᾷ χαρὰν οὔτε πλοῦτος ὑπάρχων ὁ μέγιστος οὔϑ' ἡ παρὰ τοῖς πολλοῖς τιμὴ καὶ περίβλεψις οὔτ' ἄλλο τι τῶν παρὰ τὰς ἀδιορίστους αἰτίας.*

Lucr. III 1066:
Hoc se quisque modo fugit. . . . . . .

Hor. serm. I 2, 37—40:
Audirest operae pretium, procedere recte
Qui moechis non voltis, ut omni parte laborent,
Utque illis multo corrupta dolore voluptas,
Atque haec rara cadat dura inter saepe pericla.

Epic. ep. III 129 (Usen. Epic. p. 63, 5 sqq.): *διὰ τοῦτο* (sc. *τὴν ἀταραξίαν) καὶ οὐ πᾶσαν ἡδονὴν αἱρούμεϑα, ἀλλ' ἔστιν ὅτε πολλὰς ἡδονὰς ὑπερβαίνομεν, ὅταν πλεῖον ἡμῖν τὸ δυσχερὲς ἐκ τούτων ἕπηται.*

Sed uterque laudat eum, qui non summa appetivit, sed fortiter res adversas perfert.

Hor. carm. II 10, 13—15:
Sperat infestis, metuit secundis
Alteram sortem bene praeparatum
Pectus. . . . . . .

21—24:
Rebus angustis animosus atque
Fortis appare; sapienter idem
Contrahes vento nimium secundo
Turgida vela.

Hor. carm. II 16, 25—28:
Laetus in praesens animus quod ultrast
Oderit curare et amara lento
Temperet risu: nihil est ab omni
parte beatum.

Hor. serm. II 2, 135 sq.:
. . . . quocirca vivite fortes
Fortiaque adversis opponite pectora rebus.

Epic. frg. 489: *καὶ τὰ παρὰ τῆς τύχης μικρότερα (ἡ φύσις) διδάσκει νομίζειν, καὶ εὐτυχοῦντας μὲν γινώσκειν ἀτυχεῖν, δυστυχοῦντας δὲ μὴ παρὰ μέγα τίθεσθαι ὂν τὸ εὐτυχεῖν, καὶ δέχεσθαι μὲν ἀθορύβως τὰ παρὰ τῆς τύχης ἀγαθά, παρατετάχθαι δὲ πρὸς τὰ παρ᾽ αὐτῆς δοκοῦντα εἶναι κακά· καὶ ὡς ἐφήμερον μὲν πᾶν τὸ τῶν πολλῶν ἀγαθόν ἐστι καὶ κακόν, σοφία δὲ οὐδαμῶς τύχῃ κοινωνεῖ.* Epikur. Spruchs. 41 (Wien. Stud. X p. 194, 205): *γελᾶν ἅμα δεῖν καὶ φιλοσοφεῖν καὶ οἰκονομεῖν καὶ τοῖς λοιποῖς οἰκειώμασι χρῆσθαι καὶ μηδαμῇ λήγειν τὰς ἐκ τῆς ὀρθῆς φιλοσοφίας φωνὰς ἀφιέντας.*

Ne ulla re tranquillitas animi perturbaretur, Epicurus se recepit a vita publica et notum est illud Epicuri *λάθε βιώσας* (frg. 551). cf. Epic. Spruchsamml. 58 (Wien. Stud. X p. 196): *Ἐκλυτέον ἑαυτοὺς ἐκ τοῦ περὶ τὰ ἐγκύκλια καὶ πολιτικὰ δεσμωτηρίου.* Hac quoque re Horatius Epicureus esse videtur, quippe qui rebus publicis non studeret et in Sabino suo vivere mallet.

cf. epod. II 1—4:
Beatus ille qui procul negotiis,
Ut prisca gens mortalium,
Paterna rura bobus exercet suis
Solutus omni faenore.

serm. I 6, 51 sq.:
Praesertim cautum dignos assumere, prava
Ambitione procul. . . . . .

serm. I 6, 99:
Nollem onus haut unquam solitus portare molestum.

serm. I 6, 127—129:
Pransus non avide, quantum interpellet inani
Ventre diem durare, domesticus otior. haec est
Vita solutorum misera ambitione gravique.

serm. II 6, 18 sq.:
Nec mala me ambitio perdit nec plumbeus Auster
Autumnusque gravis Libitinae quaestus acerbae.

At idem, quod iam apud Vergilium commemoravi, apud Horatium commemorandum est: nihilominus imperium Romanum maxime laudat et summa patriae amore commotus est,

id quod imprimis probant carmina III 1—6 et carmen saeculare. Spernit autem profanum vulgus ut Epicurus.

cf. Hor. carm. II 16, 39 sq.:

. . . . malignum
Spernere volgus.

carm. III 1, 1:

Odi profanum volgus et arceo.

serm. I 6, 15—17:

Iudice quo nosti populo, qui stultus honores
Saepe dat indignis et famae servit ineptus,
Qui stupet in titulis et imaginibus. . . . . .

Epic. frg. 187: *Οὐδέποτε ὠρέχθην τοῖς πολλοῖς ἀρέσκειν. ἃ μὲν γὰρ ἐκείνοις ἤρεσκεν, οὐκ ἔμαθον· ἃ δ᾽ ᾔδειν ἐγώ, μακρὰν ἦν τῆς ἐκείνων αἰσθήσεως.*

Epicurus, cum virtutes praedicabat quod iis vitam beatam adipisceremur[14]), tum iura, leges, amicitiam ex utilitate originem traxisse, culturam vero humanam voluptatis et vitae tuendae causa factam esse putabat. Quibus placitis Horatius consensit.

Hor. serm. I 3, 98:

Atque ipsa utilitas, iusti prope mater et aequi.

Hor. serm. I 3, 111:

Iura inventa metu iniusti fateare necesse est.

Hor. serm. II 6, 75:

Quidve ad amicitias, usus rectumne, trahat nos.

Epic. sent. sel. 31: *Τὸ τῆς φύσεως δίκαιόν ἐστι σύμβολον τοῦ συμφέροντος εἰς τὸ μὴ βλάπτειν ἀλλήλους μηδὲ βλάπτεσθαι.* sent. sel. 32: *Ὅσα τῶν ζῴων μὴ ἐδύνατο συνθήκας ποιεῖσθαι τὰς ὑπὲρ τοῦ μὴ βλάπτειν ἄλλα μηδὲ βλάπτεσθαι, πρὸς ταῦτα οὐδὲν ἦν δίκαιον οὐδὲ ἄδικον.* sent. sel. 36: *Κατὰ μὲν <τὸ> κοινὸν πᾶσι τὸ δίκαιον τὸ αὐτό, συμφέρον γάρ τι ἦν ἐν τῇ πρὸς ἀλλήλους κοινωνίᾳ· κατὰ δὲ τὸ ἴδιον χώρας καὶ ὅσων δή ποτε αἰτίων οὐ πᾶσι συνέπεται τὸ αὐτὸ δίκαιον εἶναι.* Epikur. Spruchs. 23 (Wien. Stud. X p. 193): *Πᾶσα φιλία δι᾽ ἑαυτὴν αἱρετή· ἀρχὴν δ᾽ εἴληφεν ἀπὸ τῆς ὠφελείας.*

Amicitiam etiam uterque plurimi aestimavit. cf. Hor. serm. I 5, 44:

Nil ego contulerim iucundo sanus amico.

Epic. sent. sel. 27: *Ὧν ἡ σοφία παρασκευάζεται εἰς τὴν τοῦ ὅλου βίου μακαριότητα, πολὺ μέγιστόν ἐστιν ἡ τῆς φιλίας κτῆσις.*

Restat ut moneam Horatium, qui Bioneis usus est, hac quoque in re secutum esse Epicurum, siquidem recte suspicatus est Usener Epicurum iam Bionis lepores et colores in usum suum vertisse. cf. Usener Epicurea p. 402.

---

[14]) cf. frg. 504, 509.

Priusquam transimus ad Horati epistulas et quartum carminum librum, monere debemus Horatium iam sermonibus et prioribus carminum libris ad Stoicorum placita spectare. Negat quidem Epicurum[15]) secutus veram esse sententiam Stoicam, quae docet omnia vitia paria esse.

cf. Hor. serm. I 3, 96—98:

Quis paria esse fere placuit peccata, laborant,
Cum ventum ad verum est: sensus moresque repugnant
Atque ipsa utilitas, iusti prope mater et aequi.

Illudit etiam vitia quorundam Stoicorum: garrulitatem[16]), voluminum amplitudinem nimiam[17]), arrogantiam[18]), molestiam impudentiamque[19]). Tamen Stoirorum doctrinam valere apud poetam non omnino negare possumus. Nam versibus quibusdam Stoicorum sententiis Horatius commotus esse videtur, atque iis solis quarum fundamenta iam posita erant ab Epicureis. Nam Horatius approbare videtur illam sententiam, quae docet omnes esse insanos nisi sapientes etsi nimiam Stoicorum superbiam atque magniloqua eorum verba deridet. At Epicurus iam similia docebat. cf. Epikur. Spruchs. 11 (Wien. Stud. X p. 192): *Τῶν πλείστων ἀνθρώπων τὸ μὲν ἡσυχάζον ναρκᾷ, τὸ δὲ κινούμενον λυττᾷ.* Accedit quod Horatius consensit cum Stoicis dicendo sapientem solum esse liberum (serm. II 7) et eum qui cupiditates superat beatiorem esse divite atque potente (carm. II 2), id quod placuit iam Epicureis. cf. Epik. Spruchs. 77 (Wien. Stud. X p. 197): *Τῆς αὐταρκείας καρπὸς μέγιστος ἐλευθερία.* Epikur. Spruchs. 33 (Wien. Stud. X p. 193): *Σαρκὸς φωνὴ τὸ μὴ πεινῆν, τὸ μὴ διψῆν, τὸ μὴ ῥιγοῦν. ταῦτα γὰρ ἔχων τις καὶ ἐλπίζων ἕξειν κἂν <Διὶ> ὑπὲρ εὐδαιμονίας μαχέσαιτο.* Epic. frg. 199: philosophiae servias oportet, ut tibi contingat vera libertas.

In epistulis et quarto carminum libro auctoritas Stoicorum increvisse videtur. More enim Stoicorum Horatius vitia non metu poenae, sed amore virtutis vitanda esse[20]) et viri boni esse se ipsum regere[21]) docet, quin etiam mortem voluntariam praedicat[22]). Praeterea plurimis locis de sapiente locutus est eodem modo quo Stoici solebant[23]) et saepius dicit nos vivere

---

15) cf. Epic. frg. 521: *ἁμαρτήματα ἄνισα εἶναι.*
16) cf. serm. I 1, 13 sq., I 2, 134.
17) serm. I 1, 14, 120, I 4, 13 sqq., epod. 8, 15.
18) serm. I 3, I 9, 30 sqq.
19) serm. II 3, II 7.
20) cf. ep. I 1, 60 sq., ep. I 16, 52 sq.
21) cf. ep. I 1, 27, ep. I 2, 33, 38 sq., ep. I 18, 112.
22) cf. ep. I 16, 78 sq.
23) cf. ep. I 1, 106 sq., I 10, 44, I 16, 20, carm. IV 9, 45—52.

debere secundum sapientiam et naturam [24]) sicut Stoici. At haec Stoicorum placita, quae Horatius accepit, non solum non contraria sunt Epicureis placitis, sed non minus quam priora a philosophia Epicurea profecta sunt. Scilicet Epicurus ad virtutem exercendam hortatur voluptatis causa. Cum vero voluptatem ponat in virtute et virtutem voluptatemque segregari alteram ab altera posse neget, non multum abest a Stoica de virtute sententia. cf. Epic. frg. 506: *Ὁ δ' Ἐπίκουρος καὶ ἀχώριστόν φησι τῆς ἡδονῆς τὴν ἀρετὴν μόνην, τὰ δ' ἄλλα χωρίζεσθαι, οἷον βρωτά.* Quisquis autem *ἀταραξίαν* illam Epicuream assecutus est, se ipse regit sicut Stoici postulant. Mortem etiam voluntariam Epicurus non omnino condemnat, sed concedit tamquam ultimam rationem, etsi eam non sicut Stoici laudat et praedicat. cf. Epic. Spruchs. 9 (Wien. Stud. X 191): *Κακὸν ἀνάγκη, ἀλλ' οὐδεμία ἀνάγκη ζῆν μετὰ ἀνάγκης.* Epic. frg. 487: „malum est in necessitate vivere, sed in necessitate vivere necessitas nulla est". Epicureus ille ap. Cic. de fin. I 15, 49: „si tolerabiles sint (sc. dolores) feramus, si minus, animo aequo e vita, cum ea non placeat, tamquam e theatro exeamus". cf. Zeller Die Philosophie der Griechen. Bd. III 1. 1909[4]. p. 470. Accedit ut Epicurus iam sapientem, qui paucis contentus vivat, tamquam beatum laudet eum deo adaequando et moneat, ut secundum naturam vivamus. cf. Epic. ep. III 135 (Usen. Epic. p. 66, 5 sqq.): *Ταῦτα οὖν καὶ τὰ τούτοις συγγενῆ μελέτα πρὸς σεαυτὸν ἡμέρας καὶ νυκτὸς πρός <τε> τὸν ὅμοιον σεαυτῷ, καὶ οὐδέποτε οὔθ' ὕπαρ οὔτ' ὄναρ διαταραχθήσῃ, ζήσεις δὲ ὡς θεὸς ἐν ἀνθρώποις. οὐθὲν γὰρ ἔοικε θνητῷ ζῴῳ ζῶν ἄνθρωπος ἐν ἀθανάτοις ἀγαθοῖς.* frg. 602: *Ὁ αὐτὸς ἔλεγεν ἑτοίμως ἔχειν καὶ τῷ Διὶ ὑπὲρ εὐδαιμονίας διαγωνίζεσθαι μᾶζαν ἔχων καὶ ὕδωρ.* frg. 474: si cui sua non videntur amplissima, licet totius mundi dominus sit, tamen miser est. frg. 604 ap. Cic. de fin. V 27, 80 (Usen. Epic. p. 341, 11 sqq.): dixerit hoc idem Epicurus, semper beatum esse sapientem: quod quidem solet ebullire non numquam: quem quidem, cum summis doloribus conficiatur, ait dicturum: quam suave est, quam nihil curo. frg. 202: *ὁ οὖν τῇ φύσει παρακολουθῶν καὶ μὴ ταῖς κεναῖς δόξαις ἐν πᾶσιν αὐτάρκης ......*

Non igitur Horatius ab Epicuri secta se seiunxit et Stoicos secutus est, sed Epicuri philosophiam amplificavit talibus Stoicis sententiis quales non ab Epicureis alienae erant. Re vera multis locis Horatius tum etiam se praestitit Epicureum, id quod Philippson demonstrat multis exemplis (cf. p. 100 sq.). Laudat

---

[24]) cf. ep. I 2, 40, I 3, 27—29, I 10, 12, II 2, 144.

persaepe vitam rusticam et otia[25]), aequam mentem[26]); nos admonet ut paucis contenti simus[27]) et voluptatem dolore emptam spernamus[28]) et hora utamur[29]); quin etiam Aristippum laudat[30]) et se nominat „Epicuri de grege porcum“[31]). Cum Epicuri etiam fragmentis conferendi sunt hi versus:

Hor. ep. I 1, 41 sq.:

Virtus est vitium fugere, et sapientia prima
Stultitia caruisse . . . .

Epic. frg. 522: initium est salutis notitia peccati.

Hor. ep. I 2, 46:

Quod satis est cui contingit, nil amplius optet.

Epic. frg. 473: ᾧ ὀλίγον οὐχ ἱκανόν, ἀλλὰ τούτῳ γε οὐδὲν ἱκανόν.

Epicureorum igitur et Stoicorum sententiae, quae ad mores pertinent, tam arte cohaerent, ut Horatius eas sua ratione vivendi confundere potuerit. Qua de causa philosophia Epicurea cavere debebat, ne obiceretur quod voluptatem praedicaret. Tamen iam Horati temporibus eam vituperatam esse apparet ex irrisione, qua Horatius se appellat „Epicuri de grege porcum“ (ep. I 4, 16). Itaque sicut Horatius doctrinam Epicuream complevit et amplificavit Stoicorum placitis, ita alii sententiam, qua dicit Epicurus voluptatem esse summum vitae bonum, a doctrina Epicurea separaverunt et ea abusi sunt ad occultandas licentiam libidinesque, id quod huic generi Epicureorum iure cognomen porcorum comparavit.

Horati et vita et placitis consideratis mihi persuasum est Horatium philosophiam Epicuream sibi elegisse, quod indoli ipsius respondebat. Epicureus secundum naturam suam erat et Epicureus fuisset, licet Epicurus numquam vixisset et docuisset — quod quidem ad mores et rationem vivendi attinet. Ea de causa non puto Horatium primo honores et labores vitae publicae assecutum esse, postea, cum M. Brutus cuius partibus se applicaverat superatus esset, se desperatione adductum a rebus publicis removisse et ad philosophiae studium fugisse, id quod Philippsonio persuasum est. Mea quidem opinione indoles eum a re publica abstraxisset, etsi feliciora arma secutus esset. Indole etiam factum est, ut, quamquam tot sententiis cum Epicuro consentit, tamen iis notam quandam daret, quae ipsius propria est. Antea iam commemoravi Horatium amore

---

25) cf. ep. I 7, 35 sq., 44 sq., I 10, 1 sq., 6 sq., 14, I 11, 7—10, I 16, 15, I 17, 6—10.

26) cf. ep. I 6, 1 sq., I 10, 30 sq., I 11, 30, I 18, 112.

27) cf. ep. I 10, 32 sq., 39—44, I 12, 3.

28) cf. ep. I 2, 55.

29) cf. ep. I 5, 12, I 11, 22 sq.

30) cf. ep. I 17, 13—17, 23 sq., ep. I 1, 18 sq., I 4, 13.

31) cf. ep. I 4, 16.

patriae atque superbia vere Romana Epicurum superavisse. Accedit ut carminum studium toto animo persecutus sit et, quamquam ceteros honores contemnebat, tamen carminibus gloriam, immo immortalitatem se sibi comparaturum esse speraverit[32]). Epicurus autem et carmina et omnem gloriam, scilicet eam quoque quae carminibus compararetur, sprevit. cf. Epic. frg. 568: *ποιήματα δὲ ἐνεργείᾳ (τὸν σοφὸν) οὐκ ἂν ποιῆσαι.* frg. 227 (Usen. Epic. p. 170, 28 sqq.): „an ille tempus aut in poetis evolvendis . . . . . . consumeret, in quibus nulla solida utilitas omnisque puerilis est delectatio?“ Neque sicut Epicurus vitam plane abstinentem voluptatibus degebat Horatius. Non ille quidem sumptus aut luxuriam appetivit, tamen bene vixisse videtur, multum bibit, multum amavit, etsi modo iusto non exiit. Toto animo vitam amavit et voluptate vivendi omnes res adversas superavit, aequam mentem i. e. *ἀταραξίαν* sibi ipse paravit. Honeste quidem atque iuste vixit neque honores aut divitias appetivit, sed dum spirare licuit, unoquoque die usus est et praesentibus bonis fruebatur: amoenitate naturae, consuetudine amicorum, solitudine fundi Sabini, vino, amore. Quod vero Horatius mortem haud timendam, etiam quibusdam condicionibus quaerendam esse dicit, hoc magis doctrina excogitatum esse videtur quam ut reapse ad effectum perduceretur. Cum Horati carmina perlegerimus, num putare possumus eum sua sponte nulla re coactum e vita decessurum fuisse sicut Stoicos?

Adhuc Philippsoni disputationem summis quidem in rebus secuta sum ordine rerum non servato. Nunc vero, cum de Horati religione dictura sum, non me Philippsonio applicare possum. Non enim satis clare et diserte quaesivisse videtur de hac re, quam una cum moribus atque ratione vivendi tractat.

Horatium antiquam Romanorum religionem servavisse hodie ab omnibus negari puto, etsi deorum nomina fabulasque adhibet tamquam ornatum poeticum. Certum autem argumentum nobis praebent versus serm. I 5, 100—103:

. . . . credat Iudaeus Apella,
Non ego: namque deos didici securum agere aevom,
Nec, siquid miri faciat natura, deos id
Tristis ex alto caeli demittere tecto.

Non igitur Horatius deos tamquam rectores mundi atque vitae humanae habuit. Quin etiam versus 101 Epicuri auctoritatem probat; mutuatus enim est e Lucreti carmine.

cf. Lucr. V 82:

Nam bene qui didicere deos securum agere aevom.

---

[32]) cf. carm. I 1, 29 sqq., II 2, III 300.

Quorum versuum fides eo augetur quod Horatius deos nominat quietos Epicurum et Lucretium secutus.

cf. Hor. carm. III 3, 33—36:

. . . . illum ego lucidas
Inire sedes, discere nectaris
Sucos et adscribi quietis
Ordinibus patiar deorum.

Weingaertner[33]) quidem putat Horatium forte verbum „quietos“ dis attribuisse, ut eos diceret beatos. Equidem non fieri posse arbitror, quin Horatius Lucreti carminis studiosissimus deos forte quietos nominaverit, cum ex ipso verbo „quietus“ Lucretius i. e. Epicurus probet deos non curare homines[34]). Accedit quod Horatius idem dicit serm. I 5, 100—103, quos versus antea attuli. Neque vero Weingaertnero assentior, qui dicit Horatium hoc loco non exhibuisse quid ipse senserit. Mea quidem opinione Horatius, postquam superstitionem Gnatiensium deriserat, suam ipsius sententiam vulgi opinioni opposuit.

Ergo haud dubium esse puto, quin Horatius cum Epicuro ea quoque re consenserit, quod deos omnia regere negabat, quippe qui quieti essent. Qua de re non est cur dubitemus, etsi Horatius carmine I 34 ipse sibi contradicere videtur. Cum vero nesciamus, qua re adductus Horatius hoc carmen scripserit, non licet nimis gravia ex eo concludere. Certe quidem parum aptum videtur quam ut Horatius eo confessus sit se re vera ad religionem antiquam reverti. An putare possumus Horatium, quem semper Epicureum fuisse intelleximus, fulmine e caelo sereno misso adeo commotum esse, ut „iteraret cursus“ et philosophiam Epicuream, quam tot tantisque rebus sequebatur, nominaret „insanientem sapientiam“[35])? Neque vero fulmen e caelo sereno mitti potest, id quod Lucretius[36]) Epicurum secutus tamquam argumentum usurpavit, ut demonstraret fulmina non a Iove mitti, sed ratione naturali gigni. Itaque malim putare Horatium hoc carmine hominum superstitionem deridere atque illudere. Ea de causa simulat se, quem Epicureum esse omnes sciebant, re, quae haud fieri potest et quam Epicurei tamquam argumentum adhibent, commotum esse ut ad religionem reverteretur. Quid vero fulmen illud effecerit, nimis magnis verbis auget, ita ut aequales statim irrisionem intellegerent. Accedit quod e nullo alio loco elucet Horatium

---

33) cf. A. Weingaertner De Horatio Lucreti imitatore. 1874.
34) cf. p. 23.
35) cf. Lucr. V 10, quo versu Lucretius philosophiam Epicuream nominat „sapientiam“.
36) cf. Lucr. VI 400 sq.

aliter de dis sensisse atque antea. Scilicet adhortatur, ut templa reficiantur, deorum cultus restituatur (carm. III 6) et ipse dis sacrificat (carm. III 23). Sed idem fecit Epicurus tamquam quaedam ad opiniones vulgares concedendo[37]). Eo facilius Horatius hoc concessit, quod opiniones illas vulgares ad vulgi mores coercendos honestatemque restituendam utiles esse credebat, qua de causa Augustus etiam cultum deorum renovare sibi proposuit. Neque vero verisimile esse videtur Horatium carmine I 34 pondus adhortationi augere in animo habuisse[38]), cum haud necessarium fuerit neque carmen huic rei idoneum videatur.

At mirum est Horatium se non numeravisse in numero eorum, qui metum rerum caelestium superavissent.

cf. Hor. ep. I 6, 3—5:

Hunc solem et stellas et decedentia certis
Tempora momentis sunt qui formidine nulla
Imbuti spectent. . . . . . .

Certe Horatius his versibus ad Epicureos spectat. Epicurus enim putabat homines metu rerum caelestium adductos esse, ut crederent deos quosdam potestatem omnium rerum habere[39]). Sed licetne concludere Horatium eos non secutum esse? Non licet mea quidem sententia. Nam Epicurei metum superaverant, quod veras causas rerum caelestium perspexerant; quorum in numero Horatius se habere non potuit. Nam paululum vel non delectatus est studio rerum physicarum. Studiosissimus erat litterarum atque historiae litterarum, non naturae rerum[40]). Quam qui scrutantur leviter illuduntur ab Horatio (ep. I 12, 16—20). Tamen Horatius cum Epicureis potestatem deorum vigere negare potuit et re vera e locis, quos antea attuli, manifestum est eum hac in re cum Epicuro consensisse.

Iam restat ut quaeramus, utrum Horatius sicut Epicurus animam corpoream esse et morte dissolvi putaverit an Stoicos secutus sit qui docuerunt animam tamquam divinam mentem vivere corpore mortuo. Putabat nos rerum dum vivimus gestarum mercedem accepturos esse post mortem an cum Epicuro credebat mortem nihil esse ad nos et nos morte sentire desistere? Nusquam de his rebus aperte loquitur exceptis iis locis quibus de inferis dicit et quos nihil esse nisi ornatum

---

[37]) cf. p. 21.
[38]) Hoc Philippsonio persuasum est.
[39]) cf. Lucr. V 1202 sqq., I 151—154.
[40]) Nusquam enim agit de origine mundi aut de rebus physicis nisi versu serm. I 3, 99, quo dicit Epicurum et Lucretium secutus prima animalia e terra nata esse. cf. Lucr. V 787—793, 914.

poeticum supra[41]) docuimus. Sed carmina eius legentes non abstinere possumus, quin negemus Horatium animam post mortem vivere credidisse. Quidquid enim senserit et cogitaverit ad hanc vitam spectat, numquam ratione aut cogitandi aut vivendi alteram post mortem vitam aeternam spectare videtur. Semper nos adhortatur, ut hac vita fruamur dum vivamus, ut hac vita beatitudinem assequamur. In omnibus fere versibus — ut ita dicam — haec sentiendi ratio, quae ad hanc vitam solam spectat, spirare videtur. Neque apud Horatium metum mortis invenimus neque funera magis curat quam Epicurus.

cf. Hor. carm. II 20, 21—24:

Absint inani funere neniae
Luctusque turpes et querimoniae:
Compesce clamorem ac sepulchri
Mitte supervacuos honores.

Epic. frg. 578 (Usen. Epic. p. 332, 15 sq.): *οὐδὲ ταφῆς φροντιεῖν (τὸν σοφὸν Ἐπικούρῳ δοκεῖ).*

Vertit Latine Maecenas frg. 6 ap. Sen. ep. 92, 35 p. 63 (Lunderstedt):

Nec tumulum curo: sepelit natura relictos.

Loquitur quidem Horatius persaepe de morte inexorabili quam nemo effugiat, de Necessitate atque fortuna instabili[42]), sed eo consilio ut nos adhortetur, ut brevi vita recte utamur, id quod Epicurus quoque fecit.

cf. Hor. carm. I 11, 7 sq.:

. . . . . . dum loquimur, fugerit invida
Aetas: carpe diem, quam minimum credula postero.

Hor. carm. III 29, 41—48:

. . . . . . ille potens sui
Laetusque deget, cui licet in diem
Dixisse 'vixi: cras vel atra
Nube polum Pater occupato,
Vel sole puro; non tamen irritum,
Quodcumque retrost, efficiet neque
Diffingit infectumque reddet
Quod fugiens semel hora vexit.'

---

[41]) cf. p. 44.

[42]) cf. Hor. carm. I 4, 13 sqq., I 28, 15 sq., I 34, 12—16, I 35, II 3, 4, 21—28, II 13, 19 sq., II 14, 10—12, II 16, 29—32, II 18, 32 sqq., III 24, 5—8, III 29, 49—52, IV 7, 13 sqq., serm. II 2, 108. 126, II 8 61 63, ep. I 1, 68 sq., I 18, 87 sq., II 2, 178 sq. Epic. frg. 339· *Πρὸς μὲν τἆλλα δυνατὸν ἀσφάλειαν πορίσασθαι, χαριν δὲ θανάτον πάντες ἄνθρωποι πόλιν ἀτείχιστον οἰκοῦμεν.* frg. 92 (Usen. Epic. p. 308, 10): *οὐδείς ἐσ[τιν ὃς δ] νατα[ι] φυγεῖν θάνατον.*

Hor. serm. II 6, 93—97:

. . . . terrestria quando
Mortalis animas vivunt sortita, neque ulla est
Aut magno aut parvo leti fuga: quo, bone, circa,
Dum licet, in rebus iucundis vive beatus,
Vive memor, quam sis aevi brevis. . . . . .

Hor. ep. I 4, 13 sq.:

Omnem crede diem tibi diluxisse supremum:
Grata superveniet quae non sperabitur hora.

Epic. frg. 204: *γεγόναμεν ἅπαξ, δὶς δὲ οὐκ ἔστι γενέσθαι· δεῖ δὲ τὸν αἰῶνα μηκέτ' εἶναι. σὺ δὲ τῆς αὔριον οὐκ ὢν κύριος ἀναβάλλῃ τὸν καιρόν· ὁ δὲ πάντων βίος μελλησμῷ παραπόλλυται καὶ διὰ τοῦτο ἕκαστος ἡμῶν ἀσχολούμενος ἀποθνήσκει.*

Itaque conicere licet Horatium non solum potestatem deorum in mortalia valere negavisse, sed etiam animam mortalem esse credidisse. Quod autem attinet ad versum serm. II 2, 79, quo ad Stoicos alludens animam „divinae particulam aurae" appellat, hoc ideo nullius momenti est, cum totus hic locus Ofelli potius quam Horati praestet doctrinam et sententiam.

Ex iis quae demonstravi perspicuum esse existimo Horatium neque Stoicae philosophiae se applicare Epicurea relicta — id quod Kohler[43]) atque Heinze putant — neque ad tempus Epicuri disciplinam dimisisse, id quod Philippson putat. At res ita se habet: Horatius semper erat Epicureus, sed semper Epicuri placita quae ad rationem vivendi pertinent, amplificavit praeceptis Stoicis eiusmodi, quae ab Epicureis non aliena essent, ita ut saepe Stoicos vocabulis atque formulis, sed re et Epicureos et Stoicos sequeretur.

V.

De Albio Tibullo, Sex. Propertio Epicureis.

Forte mirum esse videtur, quod de Epicuri apud Tibullum et Propertium auctoritate actura sum. Re vera carmina moresque eorum non sunt ea, ut sperare possimus nos multa philosophiae vestigia reperturos esse. Sed si Epicuri apud poetas aevi Augusti auctoritatem illustrare volumus, nihil silentio praeterire licet.

Sub Tibulli nomine nobis varia carmina tradita sunt, quae, cum non omnia a Tibullo composita sint, nobis separatim

---

[43]) Kohler Epikur und Stoa bei Horaz. Diss. Greifsw. 1911.

consideranda sunt. Certe Tibullus ipse scripsit librum priorem atque alterum et carmina III 19, 20, forte etiam carmina III 8—12. Carmen III 7, quod est panegyricus in Messallam, a Tibullo certe scriptum non est, carmina III 1—6 a poeta quodam, qui ipse sibi finxit nomen Lygdami, carmina III 13—18 a Sulpicia.

Primo loco agam de ipso Tibullo, apud quem nihil, quod ad res physicas pertinet, tractari consentaneum est. Ipse enim negat se de rerum natura dicturum esse neque ex his verbis elucet eum nihilominus rerum naturae studuisse ut e versibus Panegyrici in Messallam III 7, 18—23 atque Properti III 5, 25—46. Tibullus in commune ad omnes disciplinas, quae de rerum natura agunt, spectat commotus forte versibus Vergilianis georg. II 477 sq.

cf. II 4, 17 sq.:
Nec refero solisque vias et qualis, ubi orbem
Complevit, versis Luna recurrit equis.

Verg. georg. II 477 sq.:
Accipiant caelique vias et sidera monstrent,
Defectus solis varios lunaeque labores.

Neque vero vestigia talium studiorum in Tibulli carminibus invenimus. Neque aliis rebus ad philosophiam pertinentibus deditus esse videtur, etsi non licet putare eum disciplinas, quae tum vigebant, omnino non cognovisse. Sed animus eius non delectatus philosophia neque certam doctrinam secutus esse videtur. Itaque nulla placita invenimus, quae ad disciplinam Epicuream referre liceat. Tamen mores Tibulli non alieni sunt ab Epicuri philosophia. Laudat enim quietem atque otia, iucunditatem vitae rusticae, modestiam, modicas amoris voluptates, odit luxuriam, vitam publicam. Nescimus vero, utrum ipse vitae rationem, quam laudat, sequi potuerit necne. Certe quidem haud licet hunc animi habitum ad philosophiae, praecipue ad Epicuri auctoritatem referre. At taedium luxuriae atque licentiae, vitiorum atque libidinum, quae tum Romae florebant, homines probos eo adduxit, ut a vita publica se reciperent et delectarentur recessu. Neque vero negari potest talem animum, qualem aetate Augusti apud multos invenimus, implicatum esse cum philosophia et cohaerere. Qua re efficitur, ut eo maxime tempore disciplina Epicurea Romae vigere inceperit et contra taedium vitae libidinosae atque dissolutae auctoritatem et laudem philosophiae auxerit. Apud Vergilium quidem et Horatium valere disciplinae Epicureae regulam approbavimus, sed idem fieri potest neque apud Tibullum neque apud Lygdamum neque apud Sulpiciam.

Ex numero autem poetarum, quorum carmina nobis sub Tibulli nomine tradita sunt, solus auctor panegyrici in Messallam philosophiae adeo deditus esse videtur, ut vestigia istorum studiorum exstent in illo carmine. Negat quidem III 7, 18—23 se de origine mundi locuturum esse, sed his ipsis verbis usus est, ut demonstraret se rebus physicis operam dedisse. His enim paucis versibus originem mundi adumbravit, ita ut ex certa disciplina sumpta esse videatur. Quibus versibus accedit versus 151. cf. Tibull. III 7, 18—23:

Alter dicat opus magni mirabile mundi,
Qualis in immenso desederit aere tellus,
Qualis et in curvum pontus confluxerit orbem,
Et vagus, e terris qua surgere nititur, aer,
Huic et contextus passim fluat igneus aether
Pendentique super claudantur ut omnia caelo.

v. 151: Nam circumfuso considit in aere tellus.

Poeta mundi partes describit, non quomodo et quo ordine creatae sint, sed quomodo se habeant postquam creatae sunt [1]). Hoc manifestum est ex verbis „fluat“ (v. 22) et „claudantur“ (v. 23), quae praesenti tempore posita sunt, et ex verbis „qualis“ (vv. 19, 20) et „pendenti“ (v. 23), quae ad tellurem, pontum, aerem, aetherem, caelum iam creata spectant. Scilicet verba „desederit“ et „confluxerit“ perfecto tempore adhibere debuit, quod re vera tellus desidere et pontus confluere destiterunt. Itaque a medio incipiens et ad extremum progressus enumerat mundi partes hoc ordine: terram, aquam, aërem, igneum aetherem, caelum. Terra in medio consedit, aqua circum eam confluxit, ita ut „curvum orbem“ efficiat, terram et aquam undique cingit aër (v. 151), qui semper e terra surgens se renovat (v. 21), aether in extremo mundi loco fluit, denique caelum omnia claudit. Maximi autem momenti sunt versus 21, 22, 23, qui

---

[1]) v. 21 sententia ita explenda est: dicat (v. 18) ...... et qualis vagus aër in curvum orbem confluxerit. Verba autem „e terris qua surgere nititur“ tamquam parenthesin a poeta sententiae interposita sunt, qua de causa modum indicativum, non coniunctivum exhibuit. Non igitur opus est nos lectionem „quiverit“ pro „nititur“ substituere, id quod Baehrens proposuit. v. 22 etiam addendum est verbum „qualis“: dicat ...... et qualis igneus aether huic contextus passim fluat. Optimi enim codices exhibent verbum „et“, non „ut“. Denique e verbo „dicat“ versus 23 pendet, sed non eodem modo quo priores. Verbum enim „-que“ probat hanc sententiam prioribus esse parem, ita ut neque sententia finalis neque consecutiva esse possit. Quod cum ita sit verbum „ut“ ex verbo „dicat“ pendet velut apud Vergilium ecl. VI 31 sqq. e verbo „canebat“:

Namque canebat, uti magnum per inane coacta
Semina terrarumque animaeque marisque fuissent
Et liquidi simul ignis; ut his ex omnia primis,
Omnia, et ipse tener mundi concreverit orbis.

Quinque igitur mundi partes enumerat: terram, aquam, aërem, aetherem, caelum.

probant omnia sumpta esse e Stoica philosophia. Stoici enim putabant tellurem ab aqua cinctam in medio aëris positam esse et, quemadmodum omnia elementa se explerent e ceteris, ita novas aëris particulas surgere e terra. Sunt etiam qui caelum ab aethere separarent quasi quintam mundi partem. cf. Chrysipp. frg. 555 (v. Arnim Stoic. veter. frgg. II p. 175, 23 sqq.): *τὸν δὲ αἰθέρα καὶ οὐρανὸν (εἴτε ὁ αὐτός, εἴτε διάφορος) ἔξωθεν εἶναι, σφαιρικὸν σχῆμα ἔχοντα. μετὰ δὲ τοῦτον ἐντὸς αὐτοῦ τὸν ἀέρα εἶναι, καὶ αὐτὸν σφαιρικῶς περικείμενον ἔξωθεν τῇ γῇ. ἐνδοτέρω δὲ αὐτοῦ τρίτην εἶναι σφαῖραν, τὴν τοῦ ὕδατος, περὶ αὐτὴν τὴν γῆν μεταξὺ τοῦ ἀέρος καὶ τῆς γῆς· ἐν δὲ τῷ μεσαιτάτῳ τὴν γῆν εἶναι, κέντρου τάξιν καὶ μέγεθος ἐπέχουσαν, ὡς ἐν σφαίρᾳ· καὶ τὰς μὲν ἄλλας τρεῖς σφαίρας ἢ τέσσαρας περιδινεῖσθαι· τὴν δὲ τῆς γῆς μόνην ἑστάναι.* frg. 558: *ἀρέσκει δὲ αὐτοῖς καὶ τὴν διακόσμησιν ὧδε ἔχειν· μέσην τὴν γῆν κέντρου λόγον ἐπέχουσαν, μεθ' ἣν τὸ ὕδωρ σφαιροειδές, ἔχον τὸ αὐτὸ κέντρον τῇ γῇ, ὥστε τὴν γῆν ἐν ὕδατι εἶναι· μετὰ τὸ ὕδωρ δὲ ἀέρα ἐσφαιρωμένον.* fgr. 563: *λέγει δὲ τὸν ἀέρα τὸν τὴν γῆν περιέχοντα καὶ τὸ περὶ αὐτήν ......* frg. 561: Unum est caelum et nemini alii simile secundum figuram viresque. Namque quattuor elementa cognationem habent inter se tam substantia quam circumactione; substantia, cum mutuo commutantur; circumactione vero, quoniam rectum motum continent: de centro superius ignis et aër, subque centro aqua et terra; caelum vero non directe, sed circuitu circumfertur, figuram habens undique aequalem perfectissimam.

Zeno frg. 115: *Ζήνων ὁ Κιτιεὺς οὕτως αὐτὸν ὡρίσατο· „οὐρανός ἐστιν αἰθέρος τὸ ἔσχατον. ἐξ οὗ καὶ ἐν ᾧ ἐστι πάντα ἐμφανῶς· περιέχει γὰρ πάντα πλὴν αὑτοῦ· οὐδὲν γὰρ ἑαυτὸ περιέχει, ἀλλ' ἑτέρου ἐστὶ περιεκτικόν“.* Chrysipp. frg. 413 (v. Arnim Stoic. veter. frgg. II p. 136, 17 sqq.): *κατὰ μὲν τὸν λόγον τοῦτον αὐτοτελῶς λεγομένου τοῦ πυρὸς στοιχείου· οὐ μετ' ἄλλου γάρ· κατὰ δὲ τὸν πρότερον καὶ μετ' ἄλλων συστατικὸν εἶναι, πρώτης μὲν γιγνομένης τῆς ἐκ πυρὸς κατὰ σύστασιν εἰς ἀέρα μεταβολῆς, δευτέρας δ' ἀπὸ τούτου εἰς ὕδωρ, τρίτης δ' ἔτι μᾶλλον κατὰ τὸ ἀνάλογον συνισταμένου τοῦ ὕδατος εἰς γῆν. πάλιν δ' ἀπὸ ταύτης διαλυομένης καὶ διαχεομένης πρώτη μὲν γίγνεται χύσις εἰς ὕδωρ, δευτέρα δ' ἐξ ὕδατος εἰς ἀέρα, τρίτη δὲ καὶ ἐσχάτη εἰς πῦρ.* cf. Schmekel Die Philosophie der mittleren Stoa. 1892 p. 241.

Etiam in fine panegyrici poeta se praestat studiosissimum philosophiae, sed philosophiae Pythagoreae. Loquitur enim de animis, quae post mortem corporis in alia corpora transeant.

At haud licet concludere auctorem panegyrici fuisse vel Stoicum vel Pythagoreum. Nam a rhetore quodam hoc carmen ratione atque arte rhetorica compositum est quasi documentum sapientiae. Demonstrat vero se Stoicam et Pythagoream disciplinam cognovisse, sed ad Epicuri doctrinam non spectat.

Iam transeamus ad Sex. Properti carmina. Propertius, qui singulari suavitate et summo animi impetu voluptates amoris laudare non desistit, tamen ipse testatur se philosophiae etiam studuisse atque inter alias Epicuri philosophiae.

cf. Prop. III 21, 23—28:

Inde ubi Piraei capient me litora portus,
  Scandam ego Theseae brachia longa viae.
Illic aut stadiis animum emendare Platonis
  Incipiam aut hortis, docte Epicure, tuis;
Persequar aut studium linguae, Demosthenis arma,
  Ridebove tuos, culte Menandre, sales.

E quibus versibus elucet iuvenes Romanos, cum studiorum causa Athenis commorati sint, solitos esse disciplinae etiam Epicureae operam dare. Re vera Propertium philosophiae studuisse probant versus III 5, 25—46, quibus dicit se senem de rerum natura quaesiturum esse, tum cum amoris tempora fugerint. Tamen haec studia ita adumbrat, ut se iam studuisse probet. Enumerat enim omnes res, de quibus viri docti et philosophi tum Romae quaerebant et concertabant.

cf. Prop. III 5, 25—46:

Tum mihi naturae libeat perdiscere mores,
  Quis deus hanc mundi temperet arte domum,
Qua venit exoriens, qua deficit, unde coactis
  Cornibus in plenum menstrua luna redit,
Unde salo superant venti, quid flamine captet
  Eurus, et in nubes unde perennis aqua,
Sit ventura dies, mundi quae subruat arcem,
  Purpureus pluvias cur bibit arcus aquas,
Aut cur Perrhaebi tremuere cacumina Pindi,
  Solis et atratis luxerit orbis equis,
Cur serus versare boves et plaustra Bootes,
  Pleiadum spisso cur coit igne chorus,
Curve suos fines altum non exeat aequor,
  Plenus et in partes quattuor annus eat,
Sub terris sint iura deum et tormenta Gigantum,
  Tisiphones atro si furit angue caput,
Aut Alcmaeoniae furiae aut ieiunia Phinei,
  Num rota, num scopuli, num sitis inter aquas,
Num tribus infernum custodit faucibus antrum
  Cerberus, et Tityo iugera operta novem,
An ficta in miseras descendit fabula gentis,
  Et timor haut ultra quam rogus esse potest.

Primum Propertius spectat ad Stoicos[2]) (v. 26), qui deum

[2]) cf. Prop. IV 3, 38: Qualis et haec docti sit positura dei.

mundum regere docebant ab Epicureis dissentientes. Deinde enumerat res caelestes, de quibus omnes philosophi agunt (vv. 27—30, 32—38), ita ut haec verba ad certam disciplinam referre non possimus. At versus 31 ad Epicuri disciplinam spectare videtur. Epicurus enim docebat apud Lucr. V 95 sq.:

Una dies dabit exitio, multosque per annos
Sustentata ruet moles et machina mundi.

Cum haec Lucreti verba a Propertio spectata sint et adeo nota fuerint, ut Ovidius ea Lucreti laudi insereret[3]), haud dubitare possumus, quin Propertius re vera ad Epicuri sententiam se referat, etsi Stoici etiam putabant fore ut mundus interiret et denuo formaretur[4]). Denique versibus 39—46 Propertius aut ad Stoicos aut ad Epicureos spectat. Utrique enim tormenta apud inferos ficta esse docebant, alii tamquam fabulas omnino negantes, alii tamquam allegorias explicantes. Sed versus 46 auctoritatem doctrinae Epicureae probare videtur; nam Epicurus sua doctrina maxime appetivit, ut timorem et mortis et poenarum post mortem eximeret[5]).

Restat ut agamus de versibus II 34, 51—54, quibus Propertius ad res physicas spectat et iterum Epicuream et Stoicam disciplinam memorat. Stoici enim dicebant nos „post Stygias aliquid restare undas", id quod Epicurei negabant, et Epicurei fulmina consulto mitti negabant.

cf. Prop. II 34, 51—54:
Harum nulla solet rationem quaerere mundi,
Nec cur fraternis Luna laboret equis,
Nec si post Stygias aliquid restabimus undas,
Nec si consulto fulmina missa tonent.

Iam restat ut addam Propertium Philodemi scripta cognovisse, cum nonnulla eius epigrammata imitatus sit[6]).

Itaque e Properti carminibus manifestum est Stoicam et Epicuream doctrinam aeque viguisse illis temporibus, ita ut de eorum controversiis viri docti disputarent. Propertius quidem refert, de quibus rebus philosophi egerint, neque vero indicat, quid ipsi persuasum fuerit. Quod autem vitam atque mores attinet, non licet conicere eum fuisse vel Epicureum vel Stoicum. Certe quidem longe aberat ab *ἀταραξία* illa Epicurea.

---

[3]) cf. Or. amor. I 15, 23 sq.:
Carmina sublimis tunc sunt peritura Lucreti,
Exitio terras cum dabit una dies.

[4]) cf. Chrysipp. frg. 596: *Ζήνωνι καὶ Κλεάνθει καὶ Χρυσίππῳ ἀρέσκει τὴν οὐσίαν μεταβάλλειν οἷον εἰς σπέρμα τὸ πῦρ, καὶ πάλιν ἐκ τούτου τοιαύτην ἀποτελεῖσθαι τὴν διακόσμησιν, οἷα πρότερον ἦν.*

[5]) cf. Lucr. III 1—93.

[6]) cf. A. P. V 25, Prop. III 16.
A. P. V 123, Prop. I 3, 31 sqq.

VI.

De P. Ovidio Nasone Epicureo.

Ueberweg et Praechter in libro qui inscribitur Geschichte der Philosophie. I Altertum. 1920^XI p. 615 scripserunt: „Bezeichnend aber für die Verbreitung des Epikureismus in Ovids Zeit und in erster Linie wohl für die Einwirkung des Lucrez ist es, daß wir mitten in den pythagoreischen Ausführungen dem Verse begegnen: Quid Styga, quid manes et nomina vana timetis (Met. XV 154), und daß die Seelenwanderungslehre in recht gewaltsamer Weise mit dem epikureischen „mors nihil ad nos“ verquickt wird.“ — Inspiciamus ipsi, quid Ovidius senserit de rebus physicis et metaphysicis.

Totius Metamorphoseon carminis ratio posita est in disciplina quadam, quae docet omnia semper moveri atque mutari. Itaque primum exponit, quomodo mundus ortus sit e „rudi indigestaque mole“, quae dicitur chaos (Metam. I 7). Tum omnes mutationes, quas fabulae narrant, refert. Utramque autem disciplinam Ovidius hac re sequi potuit: vel Pythagoream vel Stoicam. Sed Ovidius, quippe qui originem mundi secundum Stoicos narret[1]) et in initio carminis quasi caput et argumentum totius carminis posuerit, ipse manifestat Stoicam disciplinam fundamentum carminis esse. A qua disciplina Ovidius non dissentit ceteris locis, quibus de origine mundi loquitur[2]). Neque Pythagorae illa oratio atque vaticinatio, quam legimus in metamorphoseon libro XV caret Stoicorum placitis, immo illa e Stoico auctore sumpta est. Nam Schmekel[3]) probavit Ovidium eam hausisse e Varronis scriptis, qui ipse Posidonium philosophum Stoicum secutus sit. Haec Ovidiana Pythagoreae doctrinae adumbratio interposita est carmini eodem modo quo Vergilius Aeneidos libris inseruit librum illum sextum, quo depingit qualem vitam animae post mortem agant. Itaque Ovidius exemplo Vergili adductus videtur esse, ut Pythagoream doctrinam adhiberet ad urbem Romam gentemque Iuliam laudandas[4]). Accedit quod Pythagorea doctrina maxime idonea est quae coniungatur hac quidem in re cum Stoica, ita ut Posidonius, quem Varro secutus est, eas iam inter se conecteret. Quid vero dicimus de versibus metam. XV 153—157, quibus commotus Praechter Epicuri auctoritatem approbat?

---

[1]) cf. Die Metamorphosen des P. Ovidius Naso, Bd. I, erklärt von Haupt-Korn-Müller-Ehwald, 1903. Robbins the creation story in Ovid Metam. I. Class. philol. 8 (1913) p. 401—414.

[2]) cf. ars amat. II 467 sqq., fast. I 103—112, V 11—16, VI 269—280.

[3]) Schmekel De Ovidiana Pythagoreae doctrinae adumbratione. Diss. Greifsw. 1885.

[4]) cf. metam. XV 434—452.

cf. Ov. metam. XV 153—159:

O genus attonitum gelidae formidine mortis!
Quid Styga, quid manes et nomina vana timetis,
Materiem vatum, falsique pericula mundi?
Corpora, sive rogus flamma seu tabe vetustas
Abstulerit, mala posse pati non ulla putetis:
Morte carent animae semperque priore relicta
Sede novis domibus vivunt habitantque receptae.

Re vera iam versus 67—71 nobis afferunt Lucreti memoriam [5]). Ovidius enim enumerat eas res, de quibus agit Lucretius, atque verbis quae e Lucreti carmine sumpta sunt usus est.

cf. Ov. metam. XV 67—72:

coetusque silentum
Dictaque mirantum magni primordia mundi
Et rerum causas, et, quid natura, docebat,
Quid deus, unde nives, quae fulminis esset origo,
Iuppiter an venti discussa nube tonarent,
Quid quateret terras, qua sidera lege mearent,
Et quodcumque latet. . . . . . .

Sed in versibus, qui sequuntur, haud agit de rebus quas antea promisit. Nihil igitur est nisi laus Lucreti, cui summo honori est, quod eodem loco cum Pythagora habetur. Pergit Pythagoras dicendo iuvare se super mundum levare et ab alto proculque inde mundum spectare (vv. 147—152); eum, qui hoc faceret, contempturum esse homines stultos atque mortem timentes; ea de causa se eos exhortaturum esse „seriem evolvendo fati“ (v. 152). Quam seriem incipit enarrare v. 158 more Pythagoreorum. In versibus qui antecedunt (vv. 153—157) Ovidius iterum imitatus est Lucretium [6]); sed verbis solis eum secutus est, non re, qua longe abhorret ab Epicureis. Non enim Epicurus mortis metum superavit „seriem evolvendo fati“, sed naturam rerum perspiciendo neque putabat animas post mortem mala pati desistere [7]) (cf. Ov. metam. XV 157), quod in aeternum viverent (Ov. metam. XV 158), sed omnino sentire et vivere desistere.

Non igitur hoc loco exstant Epicureae doctrinae vestigia, sed imitatio atque laus Lucreti poetae. Quem Ovidium maximi aestimavisse cognovimus e ceteris imitationibus et ex versibus amor. I 15, 23 sq.:

Carmina sublimis tunc sunt peritura Lucreti,
Exitio terras cum dabit una dies [8]).

[5]) cf. Die Metamorphosen des P. Ovidius Naso, Bd. I, erklärt von Haupt-Korn-Müller-Ehwald 1903.
[6]) cf. Lucr. II 7—19, V 1192.
[7]) cf. metam. III 471: Nec mihi mors gravis est, posituro morte dolores.
[8]) cf. Lucr. V 95.

trist. II 425 sq.:

Explicat ut causas rapidi Lucretius ignis,
Casurumque triplex vaticinatur opus.

At videamus quid aliis locis Ovidius dixerit de anima et de morte. Nullius momenti sunt versus metam. II 610, VII 136, XI 43, Ibid. 141, cum de similibus quae apud Vergilium leguntur nobis iam persuasum erat talia non ad philosophiam spectare.

cf. Ov. metam. II 610:

Hactenus, et pariter vitam cum sanguine fudit.

Ov. metam. VII 136:

Palluit et subito sine sanguine frigida sedit.

Ov. metam. XI 43:

Sensibus in ventos anima exalata recessit.

Ibis 141:

Tunc quoque, cum fuero vacuas dilapsus in auras.

Versibus etiam trist. IV 10, 85 sq., ex Ponto I 2, 113, amor. III 9, 59 sq. res in dubio relinquitur.

cf. Ov. trist. IV 10, 85 sq.:

Si tamen extinctis aliquid nisi nomina restant,
Et gracilis structos effugit umbra rogos.

Ov. ex Ponto I 2, 113 sq.:

Et ne, si superest aliquis post funera sensus,
Terreat et manes Sarmatis umbra meos.

Ov. amor. III 9, 59 sq.:

Si tamen e nobis aliquid nisi nomen et umbra
Restat, in Elysia valle Tibullus erit.

Summam autem vim habere videntur versus trist. III 3, 59—64:

Atque utinam pereant animae cum corpore nostrae,
Effugiatque avidos pars mihi nulla rogos.
Nam si morte carens vacua volat altus in aura
Spiritus, et Samii sunt rata dicta senis,
Inter Sarmaticas Romana vagabitur umbras,
Perque feros manes hospita semper erit.

Nam si quis summis malis adductus optat, ut anima cum corpore pereat, ei non persuasum est animam re vera morte in nihilum dissolvi. Addidit autem Ovidius, qua de causa hoc optet: ne anima tamquam exul „vagetur inter Sarmaticas umbras“ [9]), si doctrina Pythagorea vera sit. Nescio an licet concludere Ovidium re vera animam immortalem putavisse more Pythagoreorum. Certe quidem in ambiguo erat, etsi

---

9) cf. ex Ponto I 2, 113 sq.:
Et ne, si superest aliquis post funera sensus,
Terreat et manes Sarmatis umbra meos.

non Pythagoram secutus est, ab Epicurea vero doctrina alienus erat. Nam nemo Epicureus, quippe qui animam morte dissolvi putaret, optare poterat, ut anima cum corpore periret.

Neque de dis Ovidius idem sensit cum Epicureis. Non minus quidem quam aequales dubitabat de deorum potestate, quorum facta et dicta narrat non cum veneratione, sed potius leviter irridens. Saepe etiam alios de dis dubitantes facit aut ipse dubitat velut:

Ov. metam. VI 542 sq.:

Si tamen haec superi cernunt, si numina divum
Sunt aliquid, si non perierunt omnia mecum.

Ov. metam. VII 793:

Esse deus voluit siquis deus adfuit illis.

Ov. metam. IX 203 sq.:

At valet Eurystheus! et sunt, qui credere possint
Esse deos? . . . . . .

Ov. amor. III 3, 1 sq.:

Esse deos hic crede: fidem iurata fefellit,
Et facies illi, quae fuit aent, manet!

Ov. amor. III 3, 23—26:

Aut sine re nomen deus est frustraque timetur
Et stulta populos credulitate movet,
Aut, siquis deus est, teneras amat ille puellas
Et nimium solas omnia posse iubet.

Sed dubitat propterea quod boni afficiantur malis, non ut Epicurei faciunt ideo quod di, quippe qui quieti sint, non curant res humanas. cf. amor. III 9, 35 sq.:

Cum rapiunt mala fata bonos (ignoscite fasso!),
Sollicitor nullos esse putare deos.

Ad Stoicorum autem sententiam spectat versus metam. VI 548:

Audiet haec aether, et si deus ullus in illo est!

Stoici enim docebant deum illum, quem putabant, in aethere esse[10]). Congruit etiam cum Stoicis ea re quod dicit multas de dis fabulas inventas esse a poetis[10]) (cf. amor. III 12, 20—44).

Ea quae Ovidius de aetate aurea et de initio cultus humani narrat, perpaucis absolvere possumus. Schmekel[11]) enim ad versus metam. XV 91 sqq., fast. I 338 sqq., IV 395 sqq. spectans iam demonstravit Ovidium hac in re non pendere e Lucretio Epicureo, sed e Varrone Stoico et eis auctoribus, quibus Varro usus est. Quod autem aliis locis[12]) de hac re dicit, non licet ad certam disciplinam referre, cum more poetarum exornatum

---

[10]) cf. Schmekel Die Philosophie der mittleren Stoa. p. 243.

[11]) cf. Schmekel De Ovidiana Pythagoreae doctrinae adumbratione. Diss. Greifsw. 1885. p. 22 sqq.

[12]) cf. metam. V 341—343, amor. III 8, 35—50, fast. I 249, II 289 sqq.

sit. Ne id quidem affirmare audeo Ovidium versibus fast. II 289 sqq. Lucreti copiam dicendi imitatum esse, cum talia apud multos poetas legamus.

Priusquam ad vivendi rationem transimus, nobis agendum est de versibus metam. IX 220—222 atque VI 695—699, quibus Ovidius loquitur de nivibus, grandine, terrae motibus.

cf. Ov. metam. IX 220—222:

Utque ferunt imbres gelidis concrescere ventis,
Inde nives fieri, nivibus quoque molle rotatis
Adstringi et spissa glomerari grandine corpus.

Ov. metam. VI 695—699:

Ut medius nostris concursibus insonet aether
Exiliantque cavis elisi nubibus ignes;
Idem ego cum subii convexa foramina terrae
Subposuique ferox imis mea terga cavernis,
Sollicito manes totumque tremoribus orbem.

Ehwald in commentariis ad Ovidi metamorphoseon libros monet poetam versibus IX 220—222 Epicuri doctrinam secutum esse. Re vera v. IX 220 ipse verbo „ferunt" indicare videtur se auctorem quendam secutum esse. Sed ad Lucretium spectare non potuit, cum Lucretius has res, quamquam promisit (Lucr. VI 527—534), tamen praetereat. Comparemus igitur Ovidi verba cum Epicuri ipsius sententiis, quas legimus in epistula II 106 sqq. (Usen. Epic. p. 48, 16—50,3). Ex Ovidi verbis elucet ex imbribus, dum in terras mittuntur, gelidis ventis fieri nives, deinde e nivibus rotatis fieri grandinem. Epicurus etiam inter alias causas exponit nives fieri ex imbribus, cum per frigidiora loca mittantur (Usen. Epic. p. 49, 9—14), sed haud dicit e nivibus fieri grandinem. Itaque Ovidius Epicurum non sequitur. Praeterea Epicurus res physicas non suo modo atque nova ratione explicat, sed colligit, quid alii dixerint. Ea de causa neque ea, quae Ovidius de terrae motibus dicit metam. VI 695—699, ad Epicuri auctoritatem referre licet, etsi Lucretius (VI 557 sqq.) et Epicurus idem proferunt.

Iam progrediamur ad Ovidi de vita atque moribus placita consideranda. Certa philosophiae vestigia perpauca invenimus in carminibus Ovidi. Quin etiam longe abest, ut *ἀταραξίαν* illam Epicureorum vel etiam *ἀπαθίαν* illam Stoicorum appeterit. Nam et Epicurei et Stoici fortes se praestant rebus adversis neque eorum philosophia doctrina sola est, sed etiam docet, ut vitam et res adversas constanter feramus. At Ovidius malis, quae ipse commeritus est, affectus tanta inertia et infirmitate animi est, ut animum non colligere posset et nihil ederet nisi

questus. Scilicet laudat otia, fugit vitam publicam[13]), sed ea sola re non est vel Epicureus vel Stoicus. Vituperat etiam luxuriam et cupiditates[14]); at qui legit amorum libros non dubitat, quin Ovidius a severitate morum, qua erant Epicurei et Stoici, longe abhorreat. Quin etiam nonnullis locis illudit Epicuri doctrinam et hoc modo manifestat se non esse Epicureum. Legimus enim metam. VIII 279:

Tangit et ira deos . . . .

et ars amat. I 639 sq.:

Nec secura quies illos (deos) similisque sopori
Detinet: innocue vivite, numen adest,

qui versus certe spectant ad Epicuri sententiam quam legimus apud Lucretium II 651:

Nec bene promeritis capitur neque tangitur ira.

Lucr. V 82:

Nam bene qui didicere deos securum agere aevom[15]).

Quam Epicuri sententiam Ovidius non solum negat esse veram, sed etiam in ridiculum vertit, cum eam aut insereret fabulae, qua deam quandam iratam facit (metam. VIII 279), aut versum „Expedit esse deos, et, ut expedit, esse putemus" (ars amat. I 637) anteponat.

Deinde Epicuri praeceptum, quod nos admonet ut aequo animo omnia perferamus, irridet versu amor. II 7, 12, quo dicit eos solum poenam aequo animo ferre qui eam meruerint:

Aequo animo poenam, qui meruere, ferunt[16]).

In ludibrium etiam vertit Epicuri doctrinam versibus amor. III 3, 35 sq.:

Iuppiter igne suo lucos iaculatur et arces
Missaque periuras tela ferire vetat.

Nam eodem argumento, quo Epicurus probat fulmina non tamquam poenam a Iove mitti[17]), Ovidius usus est, ut probet Iovem puellis periuris parcere.

Sed etsi Epicuri sententias illusit, tamen exul reminiscitur Epicuri praecepta et iis, quae ipse non secutus est, nunc amicos admonet.

cf. Ov. trist. III 4, 4 sq.:

Vive tibi et longe nomina magna fuge.
Vivi tibi, quantumque potes praelustria vita.

---

13) cf. fast. I 297—308, ex Ponto II 7, 69, trist. V 3, 9 sq., IV 10, 38—40. IV 8, 7, III 2, 9 sq.

14) cf. fast. I 209—218.

15) cf. Lucr. III 937:
aequo animoque capis **securam**, stulte, **quietem**?

16) cf. Lucr. III 937, 960.

17) cf. Lucr. VI 387—422.

Ov. trist. III 4, 25 sq.:

Crede mihi, bene qui latuit, bene vixit, et intra
Fortunam debet quisque manere suam.

Ov. trist. IV 3, 83:

Utere temporibus. . . . .

Ovidius igitur haud erat Epicureus. Bene quidem cognovit Epicuri placita, quae leviter irridens in ridiculum vertit et quorum nonnulla ut persequerentur amicos exul adhortatus est animo tristis quod ipse ea non secutus erat.

VII.

Cum ad finem disputationis pervenerimus, restat ut colligamus quid pro certo habeamus de poetis aevi Augusti Epicureis.

Re vera Vergilium atque Horatium solos Epicureos appellare possumus. Neque vero tamquam philosophi certam doctrinam secuti sunt, sed alia ex aliis doctrinis sumpserunt. Ita Vergilius originem mundi non narrat secundum Epicureos, sed commiscet hac in re Epicuri doctrinam cum Empedoclea. De rebus autem caelestibus loquitur more Stoicorum. Sed vixit more Epicureorum et in iis, quae de dis atque anima credidit, consentit cum Epicureis. At Stoicorum placita, quae profert in sexto Aeneidos libro aliena sunt ab iis, quae sibi ipsi persuasum erat vera esse.

Horatius autem haud studuit rebus physicis nec origini mundi. Sed ex carminibus elucet eum cum vitae ratione atque moribus, ita religione secutum esse Epicurum, ad cuius doctrinam indoles sua adhortabatur. At Stoicorum auctoritas, quam apud Vergilium iam invenimus, maioris fidei est apud Horatium. Etsi non ab Epicuri secta transgressit in Stoicorum sectam, tamen iam in saturis, praesertim vero in epistulis Epicuri rationem vivendi amplificavit Stoicis sententiis, sed iis solis, quae non abhorrent ab Epicuri philosophia et quorum fundamenta posita erant ab Epicuro.

Deinde apud Tibullum et poetas, quorum carmina sub Tibulli nomen tradita sunt, nulla certa Epicureae disciplinae vestigia invenimus, etsi vita, quam Tibullus optimam praedicat, non aliena est a more Epicureorum. Solus Propertius philosophiae summo studio studuisse videtur. Enumerat res, quae tum a philosophis disputabantur, ita ut videamus tum Stoicos et Epicureos aeque viguisse. Sed quid Propertius ipse senserit, non licet concludere ex carminibus.

Denique apud Ovidium, qui toto animo a philosophia Epicurea alienatus erat, summam Stoicorum et Pythagoreorum vim repperimus in rebus physicis et metaphysicis; vita autem atque moribus nullam disciplinam secutus esse videtur. Certe non secutus est Epicuri praecepta et placita, quae vel illudit vel adhibet, ut amicos admoneat quasi post damnum.

Apud poetas igitur, de quibus egimus, Epicurei et Stoici auctoritate inter se certant, sed Stoica philosophia magis magisque maiorem vim habet, id quod haud mirum est. Epicuri enim philosophia animis Romanorum neque apta neque accomodata erat. Ne Lucretius quidem totus erat Epicureus: nimia enim erat gravitate atque severitate quam ut toto animo atque summa voluptate vita atque veris vitae bonis frui posset sicut Epicurei. Vergilius vero et praesertim Horatius soli erant ii qui utramque Epicureae disciplinae partem ad effectum perducerent: et severitatem morum et vivendi voluptatem. At plerique Romanorum Epicureae philosophiae aut nullam vim attribuerunt aut ea male abusi sunt. A Romanis denique, quippe qui eam non accipere possent eo animo quo a Graecis concepta erat — i. e. summa morum severitate atque summa vitae voluptate — factum est, ut Epicuri philosophia cum depravata atque in pravum versa, tum vituperata sit usque ad nostra tempora.

Index editionum et commentationum.

Hisce libris usa sum:

Epicurea ed Usener. Lipsiae 1887.
Epikurische Spruchsammlung ed. Wotke. Wiener Studien X (1888) p. 175—210.
Q. Horati Flacci opera recc. Keller-Holder. Lipsiae. 1899[II] vol. II 1869.
Q. Horatius Flaccus. Erklärt von Kießling-Heinze. Berlin. 1. Teil 1917[VI]. 2. Teil 1906[III]. 3. Teil 1914[IV].
T. Lucreti Cari de rerum natura libri sex. rec. Lachmann. Berolini 1850.
T. Lucreti Cari de rerum natura libri sex. recogn. Bernays. Lipsiae 1852.
T. Lucreti Cari de rerum natura libri sex. recogn. Munro. Cambridge 1873[III].
T. Lucretius Carus de rerum natura. Buch III. Erklärt v. Heinze. Leipzig 1897.
P. Ovidii Nasonis Fastorum libri sex. recogn. Merkel. Berolini 1841.
P. Ovidii Nasonis ex Ponto libri quattuor. rec. Korn. Lipsiae 1868.
P. Ovidi Nasonis Metamorphoseon libri XV. rec. Korn. Berolini 1880.
P. Ovidi Nasonis Tristium libri V. rec. Owen. Oxonii 1889.
P. Ovidius Naso Metamorphoses. ed. Ehwald. Lipsiae 1915.
P. Ovidius Naso ex Rudolphi Merkelii recognitione ed. Ehwald. Tom. I. Lipsiae 1916.
P. Ovidius Naso ex iterata. R. Merkelii recognitione. vol. III edit. stereot. Lipsiae 1914.
Die Metamorphosen des P. Ovidius Naso. Bd. I erklärt von Haupt-Korn-Müller-Ehwald. Berlin 1903. Bd. II erklärt v. Korn-Ehwald. Berlin 1898.
Sex. Propertii Elegiarum libri IV. rec. Baehrens. Lipsiae 1880.
Die Elegien des Sextus Propertius. Erklärt von Rothstein. 1. Teil 1920[II]. 2. Teil 1898.
Servii in Vergilium commentarii. edd. Thilo-Hagen. Lipsiae 1878—1902.
Stoicorum veterum fragmenta. coll. von Arnim. Lipsiae 1903—1905.
Albii Tibulli Elegiarum libri duo. rec. Baehrens. Lipsiae 1878.
Albii Tibulli Carmina. ed. Dissen. Gottingae 1835.
Albii Tibulli Elegiae. ed. Hiller. edit. stereot. Lipsiae 1911.
P. Vergili Maronis Opera. ed. Forbiger. Lipsiae 1872—1875[IV].
Vergils Gedichte. Bd. I, II erklärt von Ladewig-Schaper-Deuticke-Jahn. Berlin 1915[IX], 1912[XIII]. Bd. III erklärt v. Ladewig-Schaper-Deuticke. Berlin 1904[IX].
P. Vergilius Maro Aeneis. Buch VI. Erklärt v. Norden. Leipzig-Berlin 1916.
Birt: Jugendverse und Heimatpoesie Vergils. Erklärung des Catalepton. Leipzig-Berlin 1910.
Die Fragmente der Vorsokratiker. ed. Diels. Berlin 1912[III].

Gomperz: Griechische Denker. Bd. I Leipzig 1911[III], Bd. II 1903[II], Bd. III 1909.
Pfeiffer: Studien zum antiken Sternglauben. Leipzig-Berlin 1916.
Schmekel: Die Philosophie der mittleren Stoa. Berlin 1892.
Ueberweg-Praechter: Geschichte der Philosophie. I. Altertum. Berlin 1920[XI].
Zeller: Die Philosophie der Griechen. Bd. III 1. Leipzig 1909[IV].

Brummer: Vitae Vergilianae. Lipsiae 1912.
Geffcken: Die Hirten auf dem Felde. Hermes 49 (1914) p. 321—351.
Hirst: The gates of Virgils underworld, a reminiscence of Lucretius. Class. rev. 26 (1912). p. 82 sqq.

Kroll: Poseidonios und Vergils 4. Ekloge. Hermes 50 (1915). p. 137 sqq.
Marx: Virgils vierte Ekloge. Illbergs Jahrbücher I (1898). p. 105—128.
Norden: Vergilstudien. Hermes 28 (1893). p. 360—406.
Pascal: La dottrina Epicurea nell' egloga VI di Vergilio. — Atti della R. Accademia delle Scienze di Torino 37 (1901/02) p. 168—177.
Ranzoli: La religione e la filosofia di Virgilio. Torino 1900.
Woehler: Über den Einfluß des Lucrez auf die Dichter der august. Zeit. I. Vergil. Progr. Greifswald 1876.
Woll: De poetis Latinis Lucreti imitatoribus. Diss. Friburgensi 1907.

Crönert: Kolotes und Menedemos. Leipzig 1906.
Ehwald: Hor. carm. II 2 und 3. Philol. 60 (1901) p. 635.
Friedrich: Q. Horatius Flaccus. Illbergs Jahrbücher 31 (1913) p. 261—268.
Goebel: Lucrez und sein Verhältnis zu Horaz. Zeitschrift f. d. österr. Gymnas. VIII (1857) p. 421 sqq.
Kohler: Epikur und Stoa bei Horaz. Diss. Greifswald 1911.
Körte: Augusteer bei Philodem. Rhein. Mus. 45 (1890) p. 172—177.
Kroll: Horaz Oden und die Philosophie. Wiener Studien 37 (1915) p. 223—238.
Meiser: Griechische Parallelstellen zu Horaz. Berl. philol. Wochenschrift 1909 p. 1581.
Merrill: On the influence of Lucretius on Horace. University of California public., class. philol. Berkeley 1905.
Philippson: Horaz' Verhältnis zur Philosophie. Festschrift des König Wilhelm-Gymnasiums zu Magdeburg. 1911.
Prinz: Zu Horaz sat. I 2, 121 u. Martial epigr. 9, 32. Wiener Studien 34 (1912) p. 227 sqq.
Reisacker: Horaz in seinem Verhältnis zu Lucrez und in seiner kulturgeschichtl. Bedeutung. Progr. Breslau 1873.
Weingärtner: De Horatio Lucreti imitatore. Halle 1874.

Bernardini: ad Ovidi Metam. locos controversos II. Bollettino di filologia classica XVII (1910—11) p. 208—210.
Polle: Ovidius und Anaxagoras. Jahrbb. f. klass. Philol. 145 (1892) p. 53—59.
Robbins: The creation story in Ovid Metam. I. Class. philol. 8 (1913) p. 401—414.
Schmekel: De Ovidiana Pythagoreae doctrinae adumbratione. Diss. Greifswald. Berlin 1885.

Hac commentationes mihi non praesto erant:

Claflin: Lucr. 5, 207; Verg. Aen. 2, 599 sq.; georg. 1 198, 2, 411. Class. journ. 6, 305 (1911).
Dagma: Saggio sopra la morale epicurea di Q. Orazio Fl. Maddaloni 1882.
Frank: Epicurean Determinism in the Aeneid. Repr. fr. Am. Journ. of Philol. XLI 2.
K. Mayer: Darstellung des philos. Standpunktes bei Horaz. Kremsier 1888, Pr.
Merrill: Parallelisms and Coincidences in Lucretius and Virgil. Univ. of Calif. Publ. in Class. Phil. vol. III No. 3.
Pascal: L'imitazione di Empedocle nelle Metamorfosi di Ovidio. Rendiconto dell' Accad. di archeol., lettere e belle arti. Napoli 1902.
Postma: De numine divino quid senserit Vergilius. Amsterdam Diss. 1914.
Showerman: Horace the philosopher of life. Class. Journ. 6 (1911) p. 275—289.

Vita.

Nata sum Hildegard Disch a. d. VIII Id. Iun. anno p. Chr. n. MDCCCXCII in oppido Rhenano cui nomen est Duisburg patre Maximiliano, quem nuper de vita decessisse lugeo, matre Maria e gente Heuser, qua adhuc superstite gaudeo. Fidei addicta sum evangelicae. Discipula fui primo urbis patriae lycei per decem annos. Postea anno MCMXIV ad maturitatis testimonium studiis privatis adipiscendum Bonnas me contuli. Inde ab anno MCMXV frequentavi gymnasium Carlsruhense ubi autumno anni MCMXVI maturitatis testimonium adepta sum.

Studiis philologis, historicis, germanicis operam dedi per novies sex menses Bonnis, ubi me docuerunt viri clarissimi von Bezold, Brinkmann, Cichorius, Dyroff, Elter, Frings, Hashagen, Levison, Litt, Litzmann, Marx, Meissner, Störring, Thurneysen, Winter. Insigni Brinkmanni, Elteri, Marxi benevolentia facta sum sodalis ordinaria seminarii philologi Bonnensis, cuius disputationibus per bis sex menses intereram. Praeterea benigne recepta sum a Cichorio in seminarium historicum, cuius sodalis fui per quater sex menses, a Dyroffio in seminarium philosophicum. Exercitationibus ut interessem philologis Brinkmann, Elter, Marx, Thurneysen, metricis Marx, germanicis Frings, Litzmann, Meissner, historicis von Bezold, Hashagen, Levison benignissime concesserunt.

Quibus praeceptoribus cum omnibus gratias habeo quam maximas, tum Marxio et Cichorio, quorum beneficiis in me collatis in perpetuum sum devincta.